



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et
Mi-||racvlis Clari, Opera**

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

Dialogus de Veritate, cum Appendice.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

D. HENRICI
SVSONIS VIRI SANCTIS-
SIMI, DE VERITATE DIALO-

*gus, vbi maxima ex parte inter se
colloquuntur.*

VERITAS ET DISCIPVLVS.

CAPVT I.



ECCLE enim veritatem di-
lexisti: incerta & occulta
sapientiæ tuæ manifestasti
mihi. Psalm. 50.

Fuit homo in Christo,
qui in iuuentute sua modis
omnibus sese exercitabat,

quibus exercentur illi qui bonam vitam in-
choant: sed interior eius homo non exercita-
batur, quantum ad supremam & compendio-
sissimam sui resignationem attinet. Sentiebat
autem ipsemer quippiam sibi deesse, licet ne-
sciret quid id esset. Cùm ergò multis annis ita
se gessisset, quodam tempore intrò receptus est,
atque inibi ad seipsum reductus, eiusmodi au-
diuit vocem. Noueris interna animi resignati-
one hominem ad supremam veritatem euehi.
Ista sententia etiamdum ignota & peregrina
illi fuit, at nihilo minus magno eam studio
complectebatur, acriterq; vrgeri coepit, vt nõ
se cuperet si vel ante obitum suum eam posset
fundit.

Resignatio
quæ quo ho-
minē euehat.

funditus habere cognitam, & perfectè exequi. Itaque intus præmonitus fuit, propositumque est illi, sub eorum forma verborum scopum ipsum falsæ latere libertatis, & immanem totius Catholicæ religionis perniciem. Vnde plus satis territus, cœpit multo tempore ab ea interna inspiratione abhorrere. Quadam vice fortiter in seipsum adductus, ex diuinæ veritatis irradiatione didicit, non se ob eam inspirationem extimescere debere: quandoquidem semper ita & fuerit & futurum sit, vt mala sub boni specie lateât, nec tamen propterea rejicienda esse bona. Ita & in veteri Testamento cū per Moysen DEVS vera ederet miracula, etiam Magos suas præstigias admiscuisse. Et in Christi veri Messis aduentu quosdam se eodem nomine falso ostentasse. Atque hunc in modum in omnibus euenire solere, nec ea causa bonam malis refutanda, sed bona ex malis cautè eligenda, vt ipse DEVS hortatur, vbi ait preciosum à vili separandum: eademque ratione internas intellectuales, quæ tamen bonæ sint, inspirationes refellendas non esse, modo illi ex quibus proficiscuntur, intellectum suum communi Ecclesiæ iudicio submittant: nec etiam sententias spirituales, quæ probatæ vitæ terram contineant veritatem, damnandas esse, eo quod exacuant & expediant hominem, & bestiali sensu exuant, propriamque ipsi ingenuitatem, & diuinæ essentis excellentiam, re-
rumque aliarum omnium nihilum indicent, id quod merito hominem à rebus omnibus auocet, & ad veram prouocat resignationem. Hac ratione ad priorem illam inuitationem ac impuls-

Exod. 7.

Astor. 19.

Hier. 18.

Sententiæ
quæ vtrum
d. mandæ.

impulsionem veræ resignationis, ad quam
 uocatus fuerat, redijt. Optauit autem ab gratia
 Veritate certam sibi præstari discretione, quæ
 ad fieri posset, qua internosceret eos qui ad ordi-
 natam tendunt simplicitatem, ab illis qui ad
 inordinatam feruntur libertatem: discretio
 ex eadem virtute, quænam vera sit resignatio,
 qua ad destinatum posset scopum pertinere.
 Respondum est autem illi luculenta quadam
 ratione, fieri ista debere sub expressa quadam
 similitudine, qua Discipulus sciscitantis, Veritas
 respondētis personam sustineret. Et principio
 quidem ad ipsas sacras est remissus literas
 scriptaque sanctorum patrum, per quos æterna
 veritas loquitur, ut illic inquireret & ab-
 cultaret, equidnam eruditissimi ac exercitissimi
 Patres, quibus Deus incerta & occulta
 sapientiæ suæ manifestauit, inde tradi didicere
 atque sensissent, aut quid sancta hinc affirma-
 ret Ecclesia Catholica, ut certæ illi veritati in-
 hareret. Itaque ex iam dictis eiusmodi haurit
 lumen & institutionem.

Psalm. 50.

*Ut homo resignatus ab veritate inchoet, & in eadise-
 nat, ut que diuina essentia anonyma & incom-
 prehensibilis sit.*

CAPVT II.

Quotquot in suam optant reduci originem,
 eos comprimis nõsse conuenit sui ipsorum
 & aliarum rerum omnium principium:
 siquidem in eodem etiam vltimus eorum finis
 est. Itaque sciendum, eos omnes, qui de veri-
 tate

tate vnquam sermonem habuerint, in eo consentire, esse quippiam, quod omninò primum sit & simplicissimum, & quo nihil sit prius. Hanc impenetrabilem essentiam D. Dionysius Areopagita perspicuè contemplatus, ait vna cum cæteris doctoribus, eam omnino esse anonymam. Cum enim, vt tradunt dialectici, nomen rei nominatæ naturam & rationem exprimere debeat, & iam diuinae essentiae natura infinita & immensa sit, nec possit ab vlla creatura intelligentia compræhendi, certum est apud omnes probè eruditos, essentiam modi nesciam, etiam anonymam esse. Quamobrem D. Dionysius ait, Deum non esse quicquam eorum, quæ nos illi pro creato captu possimus attribuire. Quicquid enim hac ratione illi assignatur, id quodam modo falsum est, & eius negatio vera est. Atque hinc posset æternum nihilum dici. Verum enimuerd vbi de re aliqua sermo habendus est, quamuis ea rationem & considerationem omnem excedat, tamen aliquod ei assignandum est vocabulum. Huius tranquillæ simplicitatis essentia, eius vita est: atque ipsius vita, eius essentia est. Ipsa est vitalis atque essentialis mens, seipsam intelligens, estque & vinit in seipsa, atque est sua ipsius vita. Non possum hinc explicatius verbis eloqui. Hanc ego sempiternam & increatam appello veritatem, quæ est ipse DEVS: siquidem in ea sunt omnia ceu in sua origine & fonte perenni: vbi homo resignatus, & incipit & desinit ordinate introreceptus, vt deinceps declarabitur.

Diuin. Nom.
cap. 7.

Myst. Theol.
cap. 5.

Veritas increata quæ

*Vt in summa vnitae possit esse personarum
diuersitas.*

CAPVT III.

Discipulus hunc in modum interrogauit: Equidem admiror, vnde eueniat illa appellationum diuersitas quae dicitur tribui, si tam est simplex in seipso: Alius sapientiam, alius bonitatem, alius aliud quippiam assignat, vt nobis tradunt Theologi in Symbolo de diuina Trinitate confecto. Cur non potius patimur eum esse in simplicitate sua, in qua tamen est? Mihi sic videtur, vnde huic vni plus satis actionum & diuersitatis attribui. Nam qui possit esse simpliciter vnus, cui tanta inest multiplicitas?

VERITAS respondit: Omnis haec multiplicitas in ipso fundo non nisi simplex vnitas est. **DISC.** Ecquid tu fundum vel originem appellas? **VER.** Fundum ego dico originem, vnde emanationes proficiunt. **DISCIP.** Quid est hoc Domine? **VER.** Ipsa est natura & essentia diuinitatis: atque in hac inexhausta abyfso personarum Trinitas redigitur in vnitatem suam, & omnis multiplicitas quodam modo illic deficit: vbi etiam iuxta hunc modum nulla est extranea actio, sed tranquilla quaedam & introuersa caligo. **DISC.** Dic, obsecro, mi Domine, quae diuina emanationis sit prima origo, & maximè propriae illius actionis suae, quae est communicare sese. **VER.** Nimirum facultas & omnipotens virtus eius.

DISC.

DISC. Et que illa? VER. Diuina natura, in qua pater est existendi principium: qui hoc ipso fecundus est generationis & operationis. Si-

quidem nostro more loquendo, quatenus nos-
ter capit intellectus, Diuinitas hinc in DEVM
profluit. DISC. Non ergo sunt vnum Deitas
& DEVS? VER. Vtique vnum sunt, sed tamen
Diuinitas nec generat nec operatur, DEVS au-
tem & agit & gignit. Id quod ex personarum
diuersitate accidit, quas intellectus utrunque
distinguit. In ipso autem fundo vnum sunt. In
diuina namque natura non nisi essentia est, &
relationes personarum nihil ad hanc essentiã
adiungunt: sed ipsæ eadem sunt essentia, licet
inter se distinguantur propter relationem al-
terius ad alteram. Nam diuina natura si secun-
dum idem fundum suum accipiat, non est in
seipsa simplicior, quam Pater vel quæuis alia
persona in eadem natura accepta. Solum ima-
ginatio te fallit, qua sic hæc inuenis, ut sunt in
creaturis. In seipsa autem non nisi vnica & sim-
plex est diuinitas. DISC. Equidem animad-
uerto me iam in summe simpliciter abyssum
peruenisse, vltra quam penetrare latius nemo
potest, qui tamen à veritate aberrare nolit.

Deitas & De-
us quomodo
sint vnum, &
quo differat.

Personæ di-
uinæ quo di-
stinguantur.

OTW
40

*homo & creatura omnes in Deo ab aeterno secun-
dum ideas fuerint, & ut ex Deo per creatio-
nem profluxerint, in quem redire
deberent.*

CAPVT IV.

DISCIP. Vellem scire Domine, ut creaturæ
in DEO ex omni aeternitate fuerint.

S VER.

Exemplar
quid.

Forma quam
constituit ef-
fentiam.

Essentia Cre-
atura potior
quæ.

VER. Fuerunt ibi vt in suo æterno exemplari
DISC. Ecquid est exemplari? VER. Sempiternam
Dei essentia, quatenus per sui communicatio-
nem creaturæ se comprehendendam & cognoscendam præbet. Sunt autem creature om-
nes ab æterno secundum ideas Deus in Deo, quæ
ibi distinctæ fuere essentialiter, sed vt dictum
est, eadem cum DEO vita, essentia & potentia
sunt, quatenus in DEO sunt, idemque cum DEO
pro vnum sunt, nec illo minores. Quatenus
autem ex DEO emanarunt per creationem
suam singulæ sortitæ sunt substantiam propriam
distinctam forma, quæ illi naturalem præbet
essentiam. Forma namque præstat substantiam
separatam: vt, verbi gratia, naturalis forma
lapidis id ei præstat, vt peculiarem habeat
essentiam suam: quæ vtrique non est Dei esse-
ntia. Non enim est lapis DEVS, nec DEVS est lapis:
Tamen certum est & lapidem & creatas omnes
ex Deo habere id quod sunt. Quæque in hoc
effluxu creaturæ omnes omnipotentem & æternum
obtinuere DEVM suum: ubi enim creatura se
agnoscit creaturam, ubi Deum & creatorem
suum confitetur. DISC. Estne Domine creaturæ
essentia potior vbi in Deo est, quam vbi in seipsa
est? VER. Essentia creaturæ quatenus in Deo
est, non est creaturæ. Sed cuiuslibet creaturæ
creata essentia ipsi vtilior est, quàm ea
essentia, quam habet in Deo. Nihil enim
propterea lapis, vel homo, quatenus creatura
plùs habet in sua creata essentia, quàm
ab æterno in DEO vnum cum DEO fuerint.
DEVS nimirum res omnes pulcherrimè ordinauit.

Nam singulae quaeque ad primam suam
respectant originem. **D I S C.** Unde ergo mi Do-
mine peccatum & iniquitas, Tartarus & ignis
Purgatorius, vel daemones & eiusmodi extite-
runt? **V E R.** Vbi creatura rationalis vel intel-
lectualis in suam se debebat referre originem,
quae Deus est, vnus & simplex in natura, illa ad
se in ordinata cum complacentia & proprie-
tate se reflexit, & à Deo auertit: inde daemones,
Tartarus & malitia omnis sumpsit exordium.

Vnde infer-
nus ac dae-
mones.

*De vera sui introversione, qua fieri debet ab homine
resignato per Christum, verum Deum & homi-
nem, & ut resignare, vivere & excedere
in Deum debeamus.*

CAPVT V.

D I S C. Ut creaturae emanatio ex Deo sese
habeat, iam satis didici. Velim autem
etiam edoceri, quomodo quis per om-
nia penetrare, & per **C R I S T V M** in **D E V M**
vire, & beatitudinem adspici debeat. **V E R.**
Sciendum est, Christum aeterni Patris filium
etiam cum ceteris hominibus habere cõ-
mune, & praeter ceteris quiddam peculiare. Cõ-
mune est, natura humana, quod verus est ho-
mo. Suscepit autem naturam humanam, non
personam: quod ita accipiendum est, sumpsit
naturam humanam in indiuisibili ma-
teria, quod Damascenus vocat, in Atomo.
Atque ita susceptae communi humanae natu-
rae purissimus ille benedictae Virginis **M A-**
R I A E sanguis responder, ex qua naturam
inducit

Quid Christo
cum homini-
bus comune;
quid pecu-
liare sit.

OTW
45

induit corpoream. Quamobrem natura humana secundum seipsam considerata, non propterea quod Christus ipsam suscepit, personam, id habet iuris, ut quilibet homin ea causa eodem modo possit esse Deus & homo. Sed solus Dominus Iesus hanc obtinet nulliuscomprehensibilem dignitatem, ut naturam humanam ipse quidem suscepit, sed ea potestate, ut neque originis, neque vllum alius adhererit peccatum. Vnde etiam solus ipse qui eternae damnationi obnoxium humanum genus posset redimere. Alterum ipsi Christi peculiare est, quod aliorum hominum opera meritoria, quae cum vera sui resignatione peragunt, ordinant ac disponunt eos per Christi merita ad eam proprie capeffendam beatitudinem, quae est virtutum praemium. Atque haec beatitudo in perfecta consistit diuinitatis participatione, omni medio vel impedimento praeterablato. Porro vnitas communicationis in Christo, quandoquidem in vna est personali excellentia, excellit vtrique vnionem mentis beatorum cum Deo. Nam ab ipso Conceptionis suo momento in virginis utero verus Dei filius factus adeo ut assumpti hominis suppositum, ut verum, fuerit ipsum Verbum, verus Dei filius. Caeteri homines suam substantiam in naturali essentia sua habent: & quantumuis secedant, quamuis pure sese deserant, & a se deserant, non tamen vnquam in diuinam transeunt personam, sua substantia amissa. Tertium Christi peculiare priuilegium est, quod ipsi sanctae ecclesiae caput est, quemadmodum in humano corpore caput sese habet erga caetera membra

II.

Beatitudo
quae vbi consistat.

III.

ura ho
no pro
it, no
et ho
e hono
nulli
natur
lea pu
a aliud
iple fu
imano
Christi
m open
one po
r Chri
eatio
que ha
atis fra
o pro
in Ch
li ex
eator
s lux
lius fu
), vt
Dei fili
in ma
is sese
a se de
m tran
Tertu
quod ip
odum
ga ceter
membri

membra. Vnde scriptum est: *Nam quos prae-* Rom. 8
scit, & praeordinauit conformes fieri imaginis filij sui,
ut ipse primogenitus in multis fratribus. Quisquis
igitur rite cupit redire in Deum, & Patris effici
filius in CHRISTO, is cum vera resignatione
a seipso ad illum se conuertat, sicque quod de-
bet, peruenire poterit.

DISC. Quid est Domine vera resignatio?
VER. Aduerte notabili cum discretionem duas
hasce voces, Seipsum resignare: quas si recte
expendere ac funditus exploratas habere, &
vera cum distinctione considerare poteris, fa-
cile veritatem apprehēdes. Age principio pri-
orem illam capiamus dictionem, nempe (Sese)

Habet nimirum vnusquilibet homo quintu-
plex (Sese) Primum illi commune est cum la-
pidibus, & dicitur (esse). Alterum commune ha-
bet cum herbis, & dicitur, crescere vel viuere.
Tertium cum brutis animantibus, & vocatur,
sentire. Quartum, cum alijs hominibus, & est
ipsa rationalis humana natura, in qua omnes
homines vnum sunt. Quintum, peculiariter ad
seipsum pertinet, quae est ipsius persona secundum
substantiam & accidentia. Quid ergo est, quod
hominem ab eius aeterna salute impedit? Ex-
tremum videlicet (Sese) vbi homo à Deo ad se-
ipsum sese extrouertit, cum deberet introrsus
redire, atque secundum sui extrouersionem
proprium sibi (Sese) constituit, id est, ex cecita-
te animi sibi vsurpat & vēdicat quod DEI est,
atque in creaturas vitiosè sese effundit, & de-
fertur in hac temporaria. At verò si hoc (Sese) or-
dinate vellet relinquere, triplici illi interna
consideratione vtendum foret. Primo intinē-

SESE quatu-
plex quisque
habeat.

Quotuplici
interna con-
sideratione
quibus vten-
dum.

S. 3. ac

DIW
45

ac profundè inspiceret proprij (Sese) vel essentia suæ nihilum, antederetque tum suum, tum rerum omnium (Sese) vel essentiam nihil esse, excludatur ab illa essentia, quæ est vnica omnipotentis Dei virtus & facultas. Secundò dissimulanter contueatur, in hac penitissimè suà à Deo distinctione tamen ipsum hominem semper propriam retinere essentiam, quatenus extra Deum proficiscitur: Sed curandum est, vt naturam suis vitijs depravatam moraret, abneget, & in suam originem, Deum vult licet, referat. Tertia consideratio fiat cum quadam abnegatione, deficientia, & libera resignatione suà in omnibus, vbicumque scriptum est, quatenus creatura est, in inquietà & minime ferenda multiplicitate contra diuinam veritatem, in prosperis & aduersis, in agendo & omitendo: ita vt magnis viribus ab seipso se excedat, & seipso nonnunquam desumpturus vel repetiturus deficiat, atque Christo per vnitatem efficiatur vnus, vt ex ipso secundum vnitatem in illo semper agere cuncta accipiat, & in hac simplicitate quatenus adspiciat. Hoc resignatum vel relictum (Sese) fit Christi forme EGO, quemadmodum de Apóstolo dicit: Viuo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. Atque id (EGO) bene expensum, (SESE) dixerim. Altera dicitur nempè Resignare, id sibi vult, quod debeamus nos ipsos D. o dedere, vel deserere ac contere, non quod possimus id quod sumus, relinquere, ita vt penitus redeamus in nihilum sed vt despiciamus nos ipsos vero ex amore Dei cum profundissima humilitate. Et hoc passim

Gal. 2.

Resignare
quid sibi velit.

rectè nobiscum agitur. **DI**s. Laus sit veritati.
 Dic, oro, mi Domine, num etiam beatis refignatis hominibus nihil prorsus remaneat.
VER. Fit proculdubio, ubi servus bonus & fidelis in gaudium Domini sui introducitur, ut ab immensa domus Dei vbertate inebrietur. Euenit enim ei modo quodam ineffabili eui homini ebrio, ut obliuiscatur suū, nec sit compos sui, sed à seipso penitus sibi defecisse videatur, atque in Deum prorsus aberret, vnus cum eo spiritus effectus, perinde vt aquæ guttula multo permixta vino, à seipsa deficit, dum guttur & colorem vini induit. Ita nimirum & illi qui perfecta fruuntur beatitudine ineffabili modo omni humano destituuntur desiderio, atque à seipsis deficientes, omninò in **DEI** se mergunt voluntatem. Alioqui vera non est illa scripturæ sententia, quod **DEVS** erit omnia in omnibus, si quippiam hominis maneat ipsi homini, quo non penitus destituere. Manet quidem illi sua essentia, sed alia indita forma, alia vestita gloria, alia prædita facultate. Idque illi ex profundissima suū resignatione vel derelictione cōtingit. Vtrum verum in hac vita quisquam ita se reliquerit, vt ad perfectionis reuera pertigerit, vt ad seipsum nunquam respiciat neque in prosperis, neque in aduersis, sed seipsum non nisi purè propter Deum diligat & spectet secundum perfectissimam comprehensionem, equidem non intelligo. Si quis est, qui id vira assecutus sit, procedat in medium. Pro meo captu videtur mihi impossibile. Ex his omnibus potes elicere tuæ quæstionis solutionē. Eiusmodi namq;

Matth. 25.
 Psalm. 35.

Quo pacto
 verè beatus
 Deo coniungatur.

1. Cor. 13.

Religio sui
 quæ, quam
 rara.

S 4 præ-

DIW
 25

Resignatio
quendam ho-
minis mor-
talis beato-
rum resigna-
tionem imi-
teatur.

Beatitudinis
obtinendæ
modi quot.

præclari hominis in hac vita vera resignatio
beatorum imitatur resignationem vel relin-
quonem, de qua dictum est quatenus magis mi-
nusve vniti vel vnum effecti sunt. Aduerte ap-
tem speciatim, quod dictum est, eiusmodi ho-
minem à seipso deficere, & in aliam formam
aliam gloriam, aliam facultatem transterni.
Ea verò alia forma quid est nisi diuina natura
& essentia, in quam ipsi, & ipsa in eos diffundit-
tur, vt sint vnum cum ea per gratiam, non per
naturam? Quid est alia gloria, quam essentialis
illo, quod minui non potest, illustrari lum-
ne? Quid denique est alia facultas, quàm quæ
ex eadem vnitatem homini diuina quedam pro-
stat virtus & facultas ad agendum & omni-
tendum quicquid ad eius salutem pertinet? Et
hac ratione homo à seipso, vt dictum est, defi-
cit. DISC. Potestne id fieri Domine in hoc sa-
culo? VER. Potest beatitudo ante commemo-
rata duobus apprehendi modis. Primus est se-
cundum supremum gradum, omnem exceden-
tem facultatem: qui non potest obtineri in hac
vita. Habet enim homo adiunctum sibi cogi-
tus, cuius multiplex necessitudo non sinit ho-
minem eo pertingere. Alter est secundum par-
ticipem quandam communionem. Et hic vnus
possibilis est, licet multis impossibilis videat-
tur: nec immeritò, quando non potest velle
sensu vel ratione compræhendi. Interim car-
nò desunt qui scribât, inueniri homines quos-
dam singulariter electos & exercitatos, qui tam
defæcato & deiformi sint animo præditi, vt
virtutes in eis, iuxta quandam Dei similitu-
dinem stabiles persistant, vtpote qui in primi-
exer-

exemplaris sint transformati & translati unitatem, atque propemodum in perfectam temporariae vitae adducuntur obliuionem, & in diuinam transformati imaginem, vnum cum ea effecti sint. Sed id certum est illis solis congruere, qui hanc beatitudinem in supremo gradu sint adepti, aut certe paucissimis quibusdam, iisque longis optimis, etiamnum in corpore degentibus.

De sublimibus ac frugiferis quaestionibus, à veritate discipulo praestata de similitudine hominis resignati.

CAPVT VI.

POST haec Discipulum quaedam incessit cupido cognoscendi, num quisquam vspiam tam praclare resignatus esset homo in terris, qui per Christum reuera esset intro receptus, ut is ipsi diuinitus innotesceret, eiusque familiari colloquio perfrueretur. Cumq; hac in seria petitione versaretur, in seipsum adductus, & supra sensus raptus, visus est sibi in regione quandam intelligibilem duci, ubi inter caelum & terram vidit ferri quandam hominis speciem iuxta crucem benigno vultu, eiusque caput vltra crucem eminere ac radiare: & duplicis generis homines circumire crucem, non tamen ad eam accedere: atque ex his alios intus tantum inspicere hanc speciem, non foris: alios foris, non intus: & utrosque a speritate & duritia quadam versos ad ipsam similitudinem vel speciem: tum, verò demittere sese
 § 5 ipsam

ipsam speciem tanquam verum hominem, & iuxta ipsum residere, iubereq; ut quicquid vellet, quæreret, ad omnia responsum reportaretur. Tum ille altius ingemiscens, ita orsus est loqui: Ecquid istud est. eterna Veritas, aut quid sibi vult isthæc visio? VER. Species quam vidisti, vnigenitum Dei filium, quatenus humanam assumpsit naturam, significat. Quod autem non nisi vnâ vidisti imaginem, & eam tamen infinitam variam ac multiplicem, eos designat homines, qui eius sunt membra, qui per ipsum & in ipso effecti sunt filij Dei: sicut sunt multa membra in vno corpore. Porro, quod caput mirifice radiare perspexisti, significat eum esse primogenitum ac vnigenitum filium, secundum excellentissimam illam vnionem, qua in ipso humana natura diuinæ personæ vnita est. Alij verò designant pios omnes Christianos, qui transformantur in eandem imaginem, et vniantur. Cæterum crux id sibi vult, probè resignatum hominem secundum interiorem & exteriorem hominē, perpetuò debere totum sese permittere ac offerre ad ea omnia, quæ illum pati & resignare velit Deus, ut vbi sese occasio obtulerit, quadam moriendi ratione propensè animo eam ex Dei manibus accipiat, & patitur in laudem Dei Patris omnipotentis. Atque ius generis homines intus præclare admodum, & foris rectè, securè ac probè sunt constituti. Quod verò species ipsa iuxta crucem multam præ se tulit benignitatem, id designat, homines istos quantumuis multa patiantur, præ sui resignatione hoc eos floccipendere. Quoquo autè se vertat caput, eo vertitur & corpus, hac nimirum

visionis ante
dictæ expli-
catio.

Conditio ho-
minis plenè
resignati qua

rum significatione, mira esse simplicitate præditos fideles sectatores purissimæ vitæ & optimarum institutionum eius, ad quas sese fidenti animo adiungunt, eisq; se totos conformant. Illi verò qui eum intus, non foris, adspiciebāt, eorum typum gerunt, qui illius vitam solo intellectu quadam contemplandi ratione considerant, non autem modo actiuo, quo propriam mortificaret ac edomarent naturam vitij depravatam, atque in eius imitatione sese exercerent. At illi interna hac contemplatione ad naturæ voluptatem & falsam libertatem eam trahunt, ac ea se tumentur, putantq; eos rudes & plumbeos esse, qui in eadem cum eis sententia non sint. Atqui alij, qui foris duntaxat, non intus, eam inuentur, rigidæ & asperæ vitæ videntur: habentq; seuera & dura exercitia, viuunt custodite atque alijs honestam præferunt viuendi exemplum. Sed intus Christum inspicere dissimulant, cuius vita mitissima fuit. Illi verò asperi sunt erga alios, eosque facile iudicant, & in errore versari putant, quotquot ipsorum non viuunt instituto. Itaq; dissimilem ab eo vitam gerunt, quem tamen intentione prosequuntur. Id quod potest hinc animaduerti: Si enim requirantur, statim produunt se non esse resignati animi: nec deserunt sese, nec suæ naturæ vitiosæ moriuntur, nec in seipsis extinguunt ea, quæ propriam fouent actuentur voluntatem, vt est LIBENTER & INVI-
TE, atque id genus alia: quibus propria seruetur ac propugnatur voluntas, ac eò vt non peringat homo ad veras diuinasq; virtutes, vt est, Obedientia, Patientia, Resignatio, & alia eimodi,

Duo hominū genera à vera Christi imitatione desceat. Primi vt se fallant.

Secundi.

DIV
45

modi, quæ hominem ad Christi imitationem componunt, Christoq; conformant.

Ut beatitudo obtineatur per Christi imitationem.

CAPVT VII.

DISC. Quinam modus ille appellandus sit, quo quis ad piscitur beatitudinem.

VER. Potest dici modus generationis, sicut apud D. Ioannem scriptum est: *Dedit ei potestatem filios Dei fieri, his qui non nisi ex Deo nati sunt.* Quod fit ea ratione, qua generationem vilitato more dicimus. Cum enim hoc pacto quippiam aliud generat, facit id simile sibi, atque tum essentia tum actionis suæ quandam præbet similitudinem. Itaque in homine regnato, vbi solus Deus est pater vel generans, & in quo nihil nascitur temporarium cum proprietate, interni patefunt obtutus, ut seipsum intelligat, accipitque inibi beatam plane vitam & essentiam, estque vnum cum Deo. Si quidem illic omnia vnum sunt in vno DEO.

DISC. En ego montes & valles, aquam, aërem, & varias cerno creaturas: & qua tu ratione affirmas non nisi vnum esse? **VER.** Plus aliquid dicam: Nisi quis duo contraria simul in vno capiat siue intelligat, profectò nec tutum, nec facile est, cum illo de his colloqui. Nam vbi hæc intelligit, iamprimum hac ex parte cepit calcare viam vitæ illius, de qua ipse loquitur. **DISC.** Quænam sunt illa contraria? **VER.** Aeternum nihilum, & temporaria sui existentia.

DISC.

Ioan. 1.

Duo contraria simul de eodem prædicati.

DISC. Duo contraria de eodem posse simul
 predicari, omnes disciplinae negant. VER. Ut
 video, non eodem itinere vel semita nobis oc-
 currimus. Tu alia, atque ego, pergis via. Tua
 quaestio ex humanis sensibus proficiscitur: &
 ego ex illis loquor sensibus vel sententijs, quae
 omnem humanam considerationem ac intel-
 lectum excedunt. Necessesse est sensibus superior
 evadas, si huc voles pertingere. Nam non cog-
 noscendo veritas melius perspicitur. Iisdem
 ergo temporibus mira Discipulo sui mutatio
 evenit, interdum namque & quidem crebro
 decem vel duodecim plus minus hebdomadi-
 bus tam efficaciter sensuum externorum ope-
 ratione destituebatur, ut siue inter homines, si-
 ue extra homines esset, a pertis sensibus corpo-
 reis ita eorum officia sopirentur, ut per omnia
 in rebus omnibus non nisi simplicissimum il-
 lud unum, quod Deus est, sentiret, omniaque in
 eodem vno perciperet, absque vlla huius vel
 illius multiplicitate. Loquebatur tum illi ve-
 ritas intus in hunc modum: Agè, quidnam ac-
 cidit tibi? Num verum dixi? Respondit DIS. Veritas qua
 ratione ma-
 gis illucescat
 Plane verum. Quod ante credere non poteram,
 iam certo novi. Sed miror cur non perpetim
 perseveret. VER. Fortassis nondum omnino
 in habitum transijt. DISC. Vbi definit, aut quò
 tendit hominis resignati intelligentia? VER.
 Potest quis in hac vita eo pertingere, ut se unum
 intelligat in eo, qui nihil est eorum omnium
 quae sensibus capi, aut verbis proferri queant.
 Quod nihil, communi modo Deus appellatur,
 qui tamen est in seipso superessentialissimum
 (ut ita dicam) ens. Atque hic homo eiusmodi
 seipsum

Deum vocari
Nihil.

seipsum agnoscit vnum cum hoc nihilo, idem
que nihilum ipsum perspectum habet absque
actu intelligentiæ. Sed latet hic quiddam, quod
penitus horretur ingredi.

*Vt in nihilo illa quod Deus est, nos amittere debemus,
quo Deus sit nobis omnia in
omnibus.*

CAPVT VIII.

Dionyf.

DISCIP. Loquitur ne scriptura sacra ve
sanctorum Patrum monumenta de hoc
ipso Nihilo, quod non ideo nihilum de
citur, quod nihil sit, sed ob suam incompræ
hensibilem excellentiam? **VER.** D. Dionysius ago
de quodam anonymo, quod potest dici hoc ni
hilum, vnde ipse ago. Nam si quis id Deum, vel
essentiam, vel quouis alio nomine appeller, nō
hæc illi nomina propriè conueniunt, ita vta
creaturis intelliguntur. **DISC.** Sed quid est oc
cultum illud, quo vltiori intrare monet, quod
ipsum huic f. nihilo tribuisti, vnde, pro tua sen
tentia, existentia cuncta promanârunt? **Cam**
fit pura simplicitas, quâ potest ibi vel vltiori
introitus vel exitus esse? **VER.** Quandiu homo
intelligit vel sentit vnionem aut quippiam re
iusmodi, quod possit sermone explicari, adhuc
habet penitus ingredi. Nihil illud, non potest
in seipsum vltorius penetrare, sed vbi supra ce
ptum nostrum, id est, sine vllis formatis lumi
nibus vel imaginibus quæ esse queant, intelli
gimus, quod tamen nullus intellectus formis
& imaginibus consequi potest, inde iam nihil
possit.

possimus verbis promere. Nam si de tali re lo-
 quamur, quæ possit ratione demonstrari, quã
 tumuis multa inde dicamus, non potest tamen
 nihilum istud declarari quid sit, etiam si duplo
 plures sint & doctores & codices. Quod autem
 hoc Nihilum sit ipse intellectus, vel essentia,
 vel fructio, verum quidem est eo modo, quo
 inde nobis dici potest: sed reuera tam illi re-
 motum, immo infinito remotius est, quam ca-
 lum terræ. **DIS.** Quidnam sibi vult, cum dicitur:
 Nihilum hoc, quod Deus appellatur & gi-
 gnere potest, vbi in seipsum se recipit, homi-
 nem se ab illo non posse internoscere? **VER.**
 Tum quidem Nihilum hoc in seipso nihil est,
 quod ad nos attinet, dum ita in nobis opera-
 tur. Vbi autem in seipsum ingreditur, quantum
 ad nos spectat, iam non nouimus illud, quate-
 nus nostra interest. **DIS C.** Velim hinc certius
 edoceri. **VER.** Non capis efficacissimam illam
 in seipsa deficientem introversionem in nihilum
 illud, omnem in illa abyssu distinctionem a-
 mittere, non quod ad essentiam, sed quod ad
 nostrum captum attinet? **DIS C.** Moueor ad-
 huc eo dicto, quo affirmasti posse eò perueni-
 re hominem in hac vita, vt se inueniat vnum
 in eo qui solus est. Et qui tandem id fieri pos-
 sit? **VER.** Ait Doctor quidam æternitatem es-
 se vitam, quæ sit supra tempus, & omne tempus
 in se complectatur absque præterito vel futu-
 ro, siue ante vel post: & si quis intro recipiatur
 in æternum illud Nihilum, eum possidere om-
 nia in omnibus, nec habere ibi ante vel post:
 imò si quis hodiè intro recipiatur, eum non bre-
 uis illic fuisse, si ad æternitatem spectes, quàm
 qui

Nihilum Dei
 nullo huma-
 no ingenio
 aut declara-
 ri, aut intelli-
 gi posse.

Æternitas
 quid.

Quis omnia
 in omnibus
 possideat.

DIW
 45

qui ante annos mille intro admissus sit. Di
 Hanc sui intromissionem, vt scripturæ testat
 tur, non nisi post mortem homines expectant
 VER. Verum id est, si de perfecta possessione
 loquaris, non autem quantum ad prægustationem
 onem maiorem minoremve pertinet.

*De hominis cum Deo cooperatione & vnione perfecti
 in hac vita.*

CAPVT IX.

Dls c. Sed qui se habet hominis cum Deo
 cooperatio? VER. Quæ inde dicta sunt
 non debent accipi ita vt sonant, sed
 cundum excessum illum, quod homo à seipso
 deficiens, in vnum illud, quod Deus est, se respicit
 ac aberrat, atque cum illo vnum effectum
 est: vbi iam homo non vt homo operatur. De
 que hinc intelligi potest & debet, vt istiusmodi
 homo res creatas omnes & omnem voluptatem
 inspiciat & capiat in vnitate, adeoque etiam
 iam illam voluptatem, quæ ex corporeis percipitur
 actionibus, sine corporali ac spiritali vnitate
 ctione: quando quidem ipsa idem est in antedicta
 vnitate. Sed aduerte hinc distinctionem quædam.
 Veteres illi Philosophi res naturales peruestigabant
 ea duntaxat ratione, quatenus naturales habent
 causas, atque ita etiam inde loquebantur & differebant.
 Sed nostræ Religionis Doctores, itemque viri sanctitate
 conspicui, ita res capiunt, vt ex Deo promanarunt,
 atque hominem post eius obitum in Deum reductum
 dum hinc ex eius voluntate viuunt. At verò intro
 recepti homines, ex excellentissima de

*De rebus naturalibus quod
 Philosophi, quod etiam
 Theologi tractant.*

stabili vnitate vel vnione sui cum Deo, tam seipsum quam res omnes velut ex omni aeternitate capiunt. DISC. Estne ergo quaedam hinc diuersitas? VER. Immo sanè qui rectè constitutus est, scit & fatetur se creaturam, non secundum vitia, sed vnionem sui cum DEO: & cum non esset, scit se secundum ideam in DEO fuisse idem quod DEVS est. Huc facit quod legis apud D. Iohannem: *Quod factum est, in ipso vitæ* Ioan. I.

DISC. Et qua ratione potest id verò esse consentaneum, quando innuere videtur, animam duas esse res, creatam & incretam? Qui verò possit anima & creatura esse & non creatura? VER. Non potest homo creatura, esse & DEVS, ita vt nos more nostro loquimur. Sed Deus trinus & vnus est. Itidem potest & homo aliquo modo, vbi seipsum in Deo amittit, esse vnum cum illo, & externa ratione vel modo contemplari & agere, & similibus esse deditus. Homo quatenus cum Deo vnus efficiatur, per manens homo.

Cuius potest ista dari similitudo: Oculus dum seruit quippiam, obliuiscitur sui: nanque ipso videndi actu vnus fit cum obiecto, & tamen in seipso permanet id quod est. DISC. Quisquis inquam in scripturis versatus est, satis nouit animam in illud nihilum, quod DEVS est, vt transformari, aut secundum essentiam vnus interire oportere: quod tamen hinc non fit. simile.

VER. Anima semper manet creatura: sed in hoc Nihilo dum se amittit, vt vtrum sit creatura vel hoc Nihilum, id est, vt vtrum creatura sit, nec id minimè hic cogitat; sicut nec hoc quidè, vt vtrum sit vnita Deo, necne. At vbi ratio adhuc suo potest officio fungi, ibi vtrū id benè percipitur.

T

pitur.

pitur. Atque hoc totū homini permanet. **D**icitur
 Optiméne cum istiusmodi homine agitur? **V**erū
RIT. Optime quidem, dum id quod habet, illi
 non auferitur, & aliud quippiam eo præstans
 us donatur, ita ut idem perspicacius intelligat
 manetque id illi. Attamen totum hoc, unde de
 ximus, secundum sui extrouersionem assequi
 non potest. Nam si huc pertingere debeat, in
 pso fit fundo oportet, qui in memorato loco
 Nihilo, ubi nihil scitur, nihil est, nullus locus
 est, sed quicquid de eo affirmari uè dicatur, non
 nisi in illius cedit derogationem: quia quædā
 verbis exprimi non potest. Ac nihilo minus
 istiusmodi homo in seipso nihil est, licet hec
 li cuncta permaneant, ut est ante dictum. **D**icitur
 Dic hoc apertius. **V**ER. Aiunt doctores, anima
 beatitudinem in eo potissimum sitam esse dum
 Deum sine medio contemplatur. Omnem ergo
 vitam & essentiam suam, & quicquid est, qua-
 tenus felix & beata est, ex huius Nihilo fundo
 haurit, & quatenus aciem mentis hinc defigit,
 nihil neque de cognitione, neque de amore,
 nec de alio aliquo dicere nouit. Tota enim illa
 & conquiescit in vno illo Nihilo, nec nisi il-
 lam nouit essentiam, quæ Deus est, vel hoc Ni-
 hilum. Vbi verò scit vel cognoscit istud se Ni-
 hilum scire, contemplari & intelligere, hinc for-
 ras egreditur, & naturali quodam ordine
 hoc primo ad se reflectitur. **D**IS C. Velim id
 adhuc enucleatius ex scripturis dici. **V**ER. Do-
 ctorum sententia est, dum creatura in seipso
 cognoscitur, eam esse & dici cognitionem ve-
 spertinam: eo quod hinc creatura quadam dis-
 cretione conspiciatur. Dum vero creatura in
 Deo

Ioan. 17.

Vespertina
cognitio.

Deo cognoscuntur, eam & appellare & esse cognitionem marulinam, quod hic creaturæ sine *Maturina.*

villo discrimine absque vllis formis in vno illo, quod est Deus in seipso cernantur. **DISC.** Potestne istud capere quispiam in hac vita?

VERIT. Secundum rationem naturalem spiritus non video, vt id possit intelligere. At quatenus vnitus est DEO, vnitum se intelligit in eo, vbi hoc Nihilum seipso fruitur & generare potest. Quod potest fieri corpore adhuc in terris degente, si communi more loquamur: sed spiritus supra tempus translatus est.

DISCIP. Vnio isthæc animæ sine per ipsam animæ essentiam, an per vires illius?

VER. Animæ essentia cum Nihili huius essentia vnitur, & vires animæ cum ipsius Nihili actionibus, quas actiones ipsum Nihilum in seipso habet.

An peccare possit, & vt operetur homo perfectus in Deum raptus.

CAPVT X.

DISC. Liberatur hic homo ab omni vicio, vel potest etiam peccare deinceps, dum se creaturam intelligit, non secundum vicia, sed secundum vnionem suam cū Deo?

VER. Quatenus homo sibi relinquitur, potest haud dubiè delinquere, vt est apud D. Ioannē: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* At quatenus seipsum excessit, iam non peccat, vt idem testatur D. Ioannes in epistola sua: *Omni, in-*

*Num quis in-
rimè cū Deo
vnitus pecca-
re possit.
1. Ioan. i.*

T e *quiens;*

1. Ioan. 1.

quiens, qui natus est ex Deo, peccatum non fuit
 quoniam semen ipsius in eo manet. Quamobrem
 quibuscum rectè hîc agitur, ij non nisi vnum
 gunt opus, cum sit vna tantum generatio, vni
 que fundum, videlicet per vnionem. DISC.
 Non video vt possibile sit, hominem non nisi
 vnum opus efficere, quando in ipso CHRIS-
 T O gemina fuit operatio. VER. Illum ego
 sentio vnum duntaxat opus facere, qui ad nu-
 lum respicit opus, nisi vt diuina ac sempiterna
 id efficit generatio. Si DEVS pater filium suum
 continenter non generaret, Christus Domi-
 nus naturales actiones nullas vnquam effice-
 set. Vnde non nisi vnam ego sentio actionem
 nisi pro humano captu velimus accipere.

DISC. Aiunt tamen Philosophi, rem natu-
 lam sua peculiari actione destitui. VER. Neco-
 go affirmo hominem proprias suas actiones
 prorsus amittere: sed eatenus ea illi non me-
 nent, quod eas per quæstionem propriam non
 attendit. DISC. Actiones humanæ quæ homi-
 ni manent, quasque efficere potest creatura
 modo, cuiusnam sunt? ipsiusne hominis, an
 alterius cuiuspiam? VER. Si debeat homo ad
 potiora prouehi, mortuus sit oportet natura
 vitijs deprauatæ & ad seipsam semper reflexa,
 atque vt in Deo spiritualiter regeneretur, & ipsa
 regeneratio in eo vt resurrexerit necesse est.
 Huius aduerte rationem: Quicquid operis
 gimus, vndecunque id adueniat, nisi per gra-
 tiam in nobis deuoð nascatur, nihil nobis com-
 fert: quia solius naturæ est, quæ sine gratia ni-
 hil meretur. Ista autem spiritualis regeneratio
 post hominis ex gratia in DEO resurrectionem

Nulla opera
 nisi per grati-
 am nobis
 prodesse.

nem non qualemunque, sed perfectam, tam parum habet commercij cum corpore, & cum illis quæ sola natura in homine operatur, ut cum brutis animantibus ex actiones, quæ ad hominis rationalem vitam pertinent: nihilq; ferè homini magis actitandum remanet modo actuoso, quam ante ipsius resurrectionem: sed quodam possidendi modo, id est, ex virtutis habitu diuinitus ipsi infuso sua agit opera, non naturæ, sed gratiæ ductu. Ita nimirum vinum illud factitium, quod vulgo crematum vel distillatum dicitur, non minus habet efficacis, licet tacite, operationis, quam vinum natium nihil immutatum. DISC. Adfer, oro, discrimen quoddam æternæ generationis, & huius regenerationis, quæ fit in homine modo super-naturali. VER. Aeternam generationem ego appello, quod res omnes æternas causas & rationes suas habent in vnica illa omnipotenti virtute, quæ DEVS est. Regenerationem verò, quæ ad solum hominem pertinet, cuiuslibet ætate rei vndeunque accidentis vel occurrentis, in suam originem Deum relationem, secundum ipsius originis rationem, idque absq; vilo ad seipsum reflexu, vel respectu. DISC. Quandoquidem hac ratione anima cognitione destituitur, cessatne etiam in ea vsus omnis naturalis rerum externarum? VER. Cunctæ animæ vires debiliores sunt, quam vt in hoc possint. Nihilum pertingere modo suprascripto. At tamen vbi anima in hoc se Nihilo amisit, vires secundum suam originem à Deo aguntur. DIS. Cuiusmodi est illa amissio, qua se quis perdit in Deo? VER. Si diligen-

Quoniam modo quispiam vere resignatus in Deo, sua æterna peragat opera.

Discrimen inter generationem æternam & regenerationem hominis spiritualem.

In Deo se
amittere,
quid sit.

Nota sanctis
in hac vita
voluntatem
esse liberam,
& vt tamen
non peccent.

ligenter aduertisti, iam supra perspicue declaratum est. Cum enim ita quis supra se rapitur, vt nec seipsum, nec quicquam noñt, totusque consopitus est in æterni Nihili fundo, merito seipsum amisisse dicitur. **DISC.** Deficitne eius voluntas ipsa in hoc Nihilo? **VER.** Debit quidem secundum ipsius velle. Nam quamlibet libera sit voluntas, tamen tum demum veram esse adeptam libertatem: quippe cui iam nihil quod velit, superest. **DISC.** Qui potest homo sua voluntate exui, cum tamen Christus suam retinuerit voluntatem, volendi (vt sic dicantur) ratione? **VER.** Amittit homo voluntatem suam, quatenus ex proprietate nunc hoc, nunc illud vult agere. Atqui hinc nullam habet eiusmodi voluntatis actionem cum vitio coniunctam, vt est ante dictum: sed voluntas eius libera donata est, ad eum vt non nisi vnum agat opus, quod ipse est secundum vniõnem, & idem in tempore operatur. Quod si quis vitio more loqui, nihil vult mali agere, sed vult bona omnia. At proprie loquendo, omnis eius vita in Deo libertas est, quæ sine dubio illius est sustentatio, erga quam patiendi modo se habet. **DISC.** Voluntatis emanatio non se habet ista ratione. **VER.** Voluntas ista cum diuina est vnita voluntate, nec vult nisi quod ipsa est, quatenus ipsius velle in Deo est. Quod vero iam dictum est, non debet accipi, quasi homo penitus mutetur in Deum, vt plerumque sonare videtur: sed secundum quandam sui transformationem & omnimodam abnegationem: siquidem ad eum hinc homo Deo vnitur, vt ipse Deus fundum eius sit. **DISC.** Manet etiam

iam homini personæ suæ distincta essentia in huius Nihilo fundo? VER. Totum hoc intelligi debet pro hominis introreceptione, id est, secundum intuitum illum introrsus spectantem modo quodam deficiendi à seipso, nec hoc nec illud considerandi, vbi licet Deus & homo intimè coniungantur, manet tamè quisque id quod est. Vnde est apud D. Augustin. Tolle hoc bonum, tolle illud, & considera bonum in se, si potes, & illud est summum bonum, in quod tendimus.

DISC. Is qui se cum hoc Nihilo vnum intelligit fruendi ratione, semperne id illi permanet?

VER. Non manet id illi perpetim fruendi modo, sed tamen nunquam penitus amittitur.

DISCIP. Impeditur ne interior homo per externum? VER. Si esset homo secundum corpus extra tempus, nunquam esset impedimento. Non enim esset fames, neque labor, neque id genus pleraque alia: sed externa spiritalis contemplatio non impedit internam, vbi libertate fruitur. Fit etiam interdum, vt quanto natura sine corpore acrius premitur, tanto veritas diuina in homine locupletius resplendet & exuberet.

DISC. Vnde trahit originem cordis grauedo vel tristitia? VER. Si ea non nisi ex naturalibus proficiscatur causis, & interior homo liber sit, nihil pendenda est transit enim cum corpore: si autem interior fundus illi admixtus sit, non rectè habet. DISC. Vetus pariter & nouum Testamentum in hoc consentire videtur, non posse in hac vita quemquam eo pertingere, vnde iam dictum est.

T 4

VER.

VER. Verum id est, quod ad certam possessionem & perfectam eiusdem cognitionem attingit. Quod enim hic degustatur, illic perfectum capitur sicuti est, & ut potest utcumque intelligitur in hac vita. DISC. Is qui sempiternum suum Nihilum utcumque intelligere incipit non per mentis excessum, sed ex auditu duntaxat, ac sine hoc ipso per imagines introceptas, quibus illi faciendum incumbit? VER. Quisquis nondum id adeptus est intelligentiæ, ut capiat supernaturaliter, quid sit antedictum Nihilum, in quo cuncta secundum suam proprietatem nihil fiunt, is cuncta sinat id esse quod sum, quicquid illi occurrat, & communi Ecclesiæ Catholicæ assertioni ac dogmatibus acquiescat. Ut est cernere per plures simplices, eosque pios homines, qui vitam agant laudabilem de DEO gratam atque sanctam, nec tamē huc vocati & perducti sint. Sed quo quis propius huc accedit, eo melius. Qui verò certam est assertus horum veritatem, is ei innitatur, nec dubitet se in recto constitutum itinere. Hæc enim veritas cum diuinis literis consentit. Alioquin periculosum fuerit eam sequi. Si quis enim hæc in parte negligens sit, is vel in desperationem, vel inordinatam securitatem deuoluitur.

In quibus aberrent illi, qui falsam sectantur libertatem: & de vera discretione ac recto ordine.

CAPVT XI.

Dominica quadam die, clara luce sedit Discipulus intro receptus & cogitabundus. Cumq;

Cumque animi quodam interno silentio, & tranquillitate potiretur, species quædam rationalis vel intellectualis hominis ei occurrit, qui verbis erat acutus & subtilis, sed factis & vita nihil erat exercitatus, abundabatque mira quadam foris sese prodere gestiente perspicacitate. Eam hominis speciem ob inusitatum illius loquendi modum, placet hîc ferum vel monstruosum hominem, vel potius monstrum appellare. Viso igitur monstro, ait ille Discipulus: Vnde venis? Respondit MONSTRUM: nunquam inde recessi. DISCIP. Quid es tu? MON. Nihil sum. DISC. Quid tibi vis? MON. Nihil volo. DISC. Mira loqueris. Dic qui voceris. MON. Anonymum, equidem monstrum appellor. DISC. Rectè tu quidem monstrum diceris, quando verbis adeo monstruosis ac peregrinis vteris. Dic quis tuæ sit scopus intelligentiæ vel rationis. MON. Ociosa libertas. DISC. Ecquid tu vocas ociosam libertatem? MON. Dum quis pro suæ voluntatis libidine vivit absque contradictione, absq; vlla præteriti vel futuri consideratione & sollicitudine. DISCIP. Procul aberras à veritatis tramite. Eiusmodi nanque libertas ab omni hominem salute abducit, & vera cum libertate priuat. Nondum discernere nouisti veram à falsa libertate: Equidem de vera libertate loquor: tu contra de falsa loqueris. Erras igitur. Qui enim discretionem caret, is nec ordinem seruat. Quicquid autem verum ordinem non habet, vno obnoxium est. Vnde ipse Dominus Iesus ait: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Qui vero pura conscientia, & custodita viuendi ratio-

Falsa libertas quæ.

Ioan. 8.

Quis vera libertate potitur.

Ioan. 8.

Ordinatum aut inordinatum quid.

ratione ingreditur in Christum, seipsum ex animo resignando, is veram obtinet libertatem, ut idem Dominus affirmat: Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis. **MO N.** Quid tu ordinatum vel inordinatum appellas? **DI S C.** Ordinatam ego dico, cum ex ante memoratis virtutibus, & ad rem pertinentibus nihil omittitur, neque foris neque intus. Inordinatum vero sentio, si quid horum prætermittatur. **MO N.** Ociosa libertas his omnibus nuncium remittere, eaque neglectui habere debet. **DI S C.** Et temeritas cum omni veritate pugnat è diametro, estque similis falsæ libertati: utpote quæ illum deserit ordinem, quem æternum illud Nihilum quod Deus est, quadam generant fecunditate, vel communicandi ratione rebus omnibus attribuit. **MO N.** Quisquis in hoc æterno Nihilo redijt in nihilum, discretio non novit. **DI S C.** Sempiternum illud Nihilum quod cunctis bene constitutis mentibus vel cui libet rectæ rationi satis constat, non ideo nihilum dici, quod non sit, sed ob excellentissimam suam essentiam, hoc, inquam, nihilum in seipso minimum distinctionis habet secundum essentiam: quatenus verò fecundum est, ex se ipso rerum omnium ordinata proficiscitur discretio. Nec unquam adeo homo in hoc nihilum redigitur in nihilum, quin sensibus eius propriæ originis discretio, & rationi suæ electio maneat, tametsi in primo suo fundo hæc non attendantur, vel respiciantur. **MO N.** Quid dicitur quod cuncta hæc non aliunde quam in eodem & ex eodem fundo capiuntur? **DI S.** Id rectè fieri non possit. Non enim in eo duntaxat fundus

sunt, sed etiam in seipso totus homo est creata
 quaedam essentia, manetque id quod est. Atque ita et-
 iam accipi debet. Quod si ita discretioni destitui
 diceretur secundum essentiam, sicut profertur,
 non posset tolerari: sed id non fit, ut supradictum
 est: cuius debet apud nos semper esse sanum dis-
 crimine. **MON.** Ex alijs didici, eximium quen-
 dam doctorem omnem rejicere discretionem,
DIS. Quod tu dicis omne eum discrimen nega-
 re, si id de diuinitate accipis, posset intelligi, lo-
 qui eum de personarum discretionem in fundo
 uentis, ubi non sunt distincte personae, sed
 non quatenus mutua est inter ipsas relatio: ubi
 proculdubio personalem distinctionem admit-
 tunt. Sin verò de hominis in Deum recepti de-
 ficientia id intelligis, inde iam superius dictum
 est, ut hoc accipiendum sit non secundum essen-
 tiam, sed nostrum dicendi modum. Simul etiã
 hic aduertas, aliud esse separationem, aliud di-
 stinctionem: ut notum est, corpus uiuum ab a-
 nima non separari, cum sit anima inserta cor-
 pori, nec possit uiuere corpus ab anima separa-
 tum: sed distincta est anima à corpore: neque e-
 nim corpus est anima, nec anima corpus est. Ita
 ego sentio rem nullam posse ab illa simplici es-
 sentia separari, cum ea rebus omnibus essentia
 subministrat: sed distinguuntur utique à Deo,
 quando diuina essentia non est eadem cum la-
 pidis essentia, nec ediuerso: neque vnus crea-
 turæ essentia, etiam alterius est essentia. **MON.**
 Sic idem Doctor quodam loco in hunc modum:
 Christus Dominus vnigenitus filius est, nec re-
 generatur. **DIS.** Ipse nimirum est filius Patris
 naturalis & consubstantialis, ut qui ex ipsa
 patris.

Separatio &
 distinctio
 quid differant.

Hebr. 1.
Gen. 1.

patris substantia gignitur. Sed nos homines non sumus filij naturales Dei. Nostra ergo generatio potius regeneratio dicitur, eò quòd naturæ eius quandam similitudinem & conformitatem tendat. Ipse est Patris æterni imago: nos ad Dei imaginem facti sumus: nec potest quisquam, vt idem affirmat, in hoc par esse filio.

Joan. 3.

MON. Audiui ego asserere eundem doctorem quicquid Christus operatur, id eiusmodi hominem operari. DISC. Sed ille idem alibi sic dicit. Iustus homo operatur, quicquid ipsa iustitia agit: idq; verum est, inquit, vbi iustus verus est iustitiæ vnigenitus sicut scriptum est: *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Atq; hoc ait, in solo Christo verum est, & non in vlllo alio homine. Non enim habet ille aliam quàm patris essentiã: nec quicquam creat Pater sine filio. Ergò quicquid agit Pater, id facit & filius. Porrò id in cunctis alijs hominibus, ait idem, falsum. Ex his dictis habes verborum eius veritatem. MON. Verba eius id subindicant, quicquid Christo collatum est, hoc etiam mihi collatum esse. DISC. Intellege de perfecta essentialis beatitudinis fruitione, sicut ipse Christus dicit: *Omnia dedit mihi Pater, & hæc omnia etiam nobis dedit, sed longè dissimili ratione.* Atque idem multis affirmat locis, habere Christum ea omnia ob incarnationem, nos verò per deformem vnionem. Habet ergo ea Christus tanto excellentius, quanto ea præclarior capere potuit. MONSTR. V. M. Inuenies apud hunc Doctorem negare illum omnem similitudinem & vnionem, atque nos nudos

Matth. 11.
Joan. 19.

nudos & similitudine destitutos, in ipsa nudā
Dei vnitate constituere.

DISC. Deest tibi haud dubiè lumen discre-
tionis illius, vnde supra diximus, vt homo de-
beat vnum fieri in Christo, & tamen manere
distinctus à Christo: atque vbi vnitus sit, seseq;
vniat & vnum sit, necdum ex interna illustra-
tione didicisti. Quod enim lumen, ordinem ac
discretionem tollit, id negat erumpentem fo-
ras multiplicitem. Acuta consideratio & in-
telligentia tua, subtili ratione, naturalis lumi-
nis argumentis innititur. Naturale autem lu-
men diuinæ veritatis luci admodum simile est
in multis. Monstrum his auditis tacuit, & cum
submissa sui subiectione orabat Discipulum,
vt vtilissimum hoc discrimen latius profe-
queretur. DISCIPVLVS respondit: Præci-
puum, quo te tuique similes laborare constat,
vitium est, quod rationalis veritatis nullum
verum habetis discrimen. Quod qui perspicuè
obtinere volet, nec in hos errores impingere,
quotidiè hæc quæ diximus, suos verset ob oca-
los, hoc ipso citra impedimentum sanctam ac
beatam vitam assecuturus.

*Quam præclarè se gerat, homo in omnibus
probe resignatus.*

CAPVT XII.

Post hæc Discipulus denuò sese ad eternam
veritatem serid conuertit, orans sibi ali-
quid dari discretionis, qua possent agno-
sci secundum externam viuendi rationem ho-
mines

Ratio vitæ
hominis verè
resignati.

mines bene resignati, & vt illi se gegerent, sciscitatus est: Quæso te æterna veritas, vt in
habet eiusmodi homo quibuslibet rebus illi
occurrentibus?

VER. Sibi ipsi moritur ac vitij rebusq; crea-
tis omnibus. DISC. Vt se gerit erga tempus?
VER. In quodam præsentis Nunc versatur, ni-
hil cum proprietate proponens, & summum
profectum æquè in minimis vt in maximis
faciens. DISC. Apostolus ait, iusto non esse le-
gem positam.

i. Tim. 1.
Iustus quate-
nus talis vt
se gerat.

VER. Iustus homo quatenus iustus est, longe
se submissus gerit, quam alij homines. Si qui-
dem intus in fundo intelligit, quid quæquam
foris deceat, & sic singula quæque accipit.
Quod autem nulli est adstrictus legi, inde eue-
nit, quod ipse vltro & prompto ac resignato
facit animo, quod plerique faciunt coacti de
formidine pœnæ.

DISC. Qui in hac interna resignatione in
Deum receptus est, nunquid ab externis exer-
citijs absolutus est? VER. Pauci eo pertingunt,
non exhaustis viribus, quod tu caueas. Namque
sese resignandi & mortificandi studium intus
eorum exedit medullas. Vbi igitur animi
aduertunt quid agendum, quid omittendum
sit, communia sectantur exercitia plusue mi-
nusue, pro suarum virium facultate, aut vtili-
tatis res postulant. DISC. Vnde est illa quorun-
dam, qui tamen boni videntur esse, ingens &
nimia conscientia angustia, & quorundam
liorū inordinata laxitas? VER. Vtriq; adhuc
ad seipsos reflectuntur, sed diuersa ratione, alij
spiritualiter, alij carnaliter. DISC. Vacante
semper

Conscientia
angor, eius-
demque re-
missio in di-
uersis vnde
existat.

semper eiusmodi homo resignatus, aut quæ est illius actio? VER. Eius actio nihil est aliud, quam resignatio, atque illius operari est otiosum manere: siquidem agendo quiescit, & operando ociatur. DISC. Ut se habet erga proximos?

VER. Vivit familiariter cum hominibus absque imaginum impressione, amat eos sine affectus adhesionem, & compatitur eis sine anxiosa sollicitudine in vera libertate.

DISC. Estne obligatus confiteri? VER. Confessio quæ de amore fit, excellentior est, quam quæ de culpis. DISC. Quo pacto orat, aut facitne vllas vnquam preces? VER. Oratio eius v-

tilissima est. Enimverò per sensus penetrans (spiritus enim est Deus) diligenter explorat, tibi fortè medium aliquod inter Deum & se contraxerit, vel vtrum vsquam sese spectet secundum sensitiuæ portiois obiecta, atque hic in supremis eius viribus quædam irradiat lux, certum eum efficiens, DEVM esse essentiam & vitam illius, & qui in ipso operetur, ipsum verò non nisi eius instrumentum & adoratorem ac cooperatorem esse. DISCIP. Quo pacto eiusmodi homo edit, bibit, dormit? VER.

VER. Secundum externam & sensitiuam partem, edit externus homo: sed si secundum internam viuendi rationem loqui velimus, non edit: alioqui cibo frueretur, & in bestiali sua parte quiesceret. Idem sentiendum est de alijs externis rebus homini necessarijs. DISC.

Quismodi est illa externa conuersatio? VER. Non habet multa instituta, neque verba, atque ea ipsa simplicia sunt: & eius con-

uersatio

uersatio

Resignati hominis affectio erga proximos, quæ.

Ioan 4. Oratio vere resignati qualis.

DIV

Conuersatio
hominis re-
signati exter-
na.

uerfatio bene morata est, vt res necessarie sine illo ex ipso proficiantur: Estque sensibus quietus & sedatus. **DISC.** Num omnes æque constituti sunt? **VER.** Non: sed plus minusve habent pro accidentium diuersitate: sed essentialis scopus in eis idem est. **DISC.** Habent inuicemodi homines perfectam veritatis notitiam, vel ducuntur etiãnum opinionibus? **VER.** Vbi sibi ipsi relinquuntur, simul etiã opinantur: vbi autem seipfos excedunt, in illud quod est omnis veritatis perfecta scientia, hoc est, in **DEVM**, ibi nulla est in eis opinio: Si quidem vnum cum illo effecti sunt, nec ramē quicquam inde sibi usurpant. Atque hæc tibi dixisse satis sit. Non enim percontando, sed seipsum funditus resignando ad hanc occultam veritatem pertingitur. Amen.

(??)



APPENDIX QVA-
rundam sublimium Quæsti-
onum, Authore

D. HENRICO
SVSONE VIRO SANCTISS.

*De duplici genere hominum, pietatis speciem
præferentium.*

CAPVT XIII.



ICVT Aquila prouocans
ad volandum pullos suos.
Deut. XXXII.

Posteaquã spiritualis Mi-
nistri filia, de qua in eiusdem
Ministri vita multa dicun-
tur, ex illius pijs institutio-

nis, quantum ad æternam & actuosã vitã
sanctitatem attinet, secundum exteriorem ho-
minem in mollis cerã modum ad ignem reso-
luta, vt possit sigilli formam recipere, compo-
nita & constituta fuit, atque per exemplarem
Christi vitam, quã est via tutissima, diu satis
ordinate deducta fuisset, scripsit illi Minister
in hunc modum: Tempus iam est filia, vt ad
interiora ac viciniore te extendas, atque extra
titulum consolatoriz circa formas & imagi-

V nes

DIV
45

nes occupationis, quæ est hominum incipientium, te proripias. Fac quæso vt solet Aquila pullus iam volare idoneus: id est, vt bene firmas & ad maturitatem perductas alas tuas, hoc est, animæ supremas potentias vel vires in diuina contemplationis celsitudinem, quæ est hominum perfectorum, subrigas ac sustollas. Scis tamen quid Christus suis dixerit discipulis, plus nimio ipsius corporali præsentia affectis: *Expedi vobis, inquit, vt ego vadam: alioqui Paraclitus non veniet ad vos.* Præterea exercitia tua, dubium non est, commoda quædam adminicula ac præparamenta fuisse vltius proficisci per bestialis ac sensualis vitæ desertum in promissam terram puri & trāquilli cordis quod hîc est vitæ beatæ inchoatio quædam, & in futuro seculo perpetuè perseuerat. Vt autem sublimis hæc & intellectualis via perspicere tibi fiat, equidem lumine quodam perspicua discretionis tibi prælucebo: qua nimirum discretionem obtenta, nō possis in vltos errores incidere, quamuis sublimiter sensibus volites. Agè ergo animum aduerte: Duplex est modus vel institutum eorum, qui pietatis speciem præ se ferunt. Alij rationabilem, alij irrationabilem modum sequuntur. Priores illi sunt, qui suam eo rationem & intellectum accommodant ac referunt, vt quicquid intelligunt, quicquid agunt vel omittunt, vera cum discretionem peragatur, id est secundum mentem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, in laudem Dei & mortalium omnium tranquillam pacem: seruantque sollicitè & inuigilant verbis & moribus suis, vt quantum ex ipsis est, nemo inde patiatur offendiculum;

Ioh. 16.

Duplex pi-
rum modus.

diculum, nisi sui animi vitio ac prauitate, ut crebro fit, quisquam id patiatnr. Eiusmodi honestum, custoditum, ac religiosum viuendi institutum natura & ratio ac intelligentia probat & confirmat. Atque est ea deiformis & laude digna ratio vel intelligentia, vtpote quæ solidam veritatem in seipsa relucet, quemadmodum celum stellis ac sideribus. Alij, qui bonos se videri volunt, & irrationalem sectantur vitam, ij sunt, qui ad seipfos reflexi cum natura indomita & immortificata, ratione sua duntaxat per contemplationem res acutè speculantur, atque inde apud imperitos arroganter dicere nòrunt, idque aded, vt facillè contemnunt, quantumuis alij id sibi displicere factis & verbis testentur. Horum lux rationalis foras erumpit, non introrsus tendit. Et sicut ligna putrida noctibus lucere videntur, & tamen nihil habent luminis: ita etiam istiusmodi hominum interna lux & externa conuersatio prorsus dissimilis est Christo, cuius deberet referre similitudinem. Plerunque isti agnoscuntur ex infrenatis & dissolutis dictis suis: è quibus exempli causa vnum tantum hinc profertemus, vnde possit de cæteris coniectura capi. Quidam ex eis quòdam loco sic ait: Iusto nullum est fugiendum medium vel impedimentum. Hæc, & eius generis aliæ sententiæ, apud parum oculos alicuius ponderis esse videntur: sed à prudentibus reprobantur, quippe qui, quid sibi velint, probè capiāt. Id autem ea, quæ iam recitata est, sententia satis declarat, nempe iusto non esse vitandum impedimentum. Quis ergo est iustus, & quod impedimentum? Iustus,

Ratio viuendi optima quæ.

Lignis putridis qui cur similes.

Y 2 à vit-

Iustus quis
diceodus.
Iusto impe-
dimenta vi-
tanda.

Iustus quate-
nus noxia
cuncta vitare
debeat.

Sententiæ
quales cur
rationi repu-
gneat.

si visitato velimus more loqui, quatenus crea-
tus est accipitur, non autem secundum ideam,
quam habet in Deo. Iustus enim non per se sub-
sistit, sed subiectum aliquod requirit: atque ita
Iustus dicitur. Quod autem est impedimentum
Peccatum videlicet, quod hominem separa-
deum. Num igitur Iustus peccatum non deuita-
bit. Quis id non videat prorsus discordare
vero & ab omni recta ratione? Verum quidem
est, Iustum nullum pati medium, quatenus se-
cundum Ideam, sicut & cæteræ res omnes, in
superessentiali Dei intelligentia vnum cū Deo
est. Sed in eo simplici ac superessentiali Diuini-
tatis fundo non est iustus homo, corporeus
homo. Non est enim quicquam corporeum in
Deo, sicut nec medium vllum vel interstitium.
Sed extra hunc fundum quilibet homo, hunc
vel illum se hominem esse intelligit. Hic enim
mortalis est, illic minimè. Quatenus ergo mor-
talis est, certum est eum natura vitiata induci,
vnde satis opus habet cuncta vitare noxia im-
pedimenta. Quod si persuadere mihi velim,
nulla me iam creata ratione præditum, atque
ita tanquam pro non existente habere me ve-
lim, & sine vlla Dei ac mei ipsius distinctione
cunctas actiones corporales efficere, tanquam
Idea, quæ est in Deo increata, eas efficiat: id pro-
fecto longe flagitiosissimum fuerit. Inde ergo
potest animaduerti, tales sententias nihil ha-
bere rationi consentaneum. Nec tamen hæc ita
dicta sint, quasi damnare velimus rationales
vel intellectuales institutiones, aut rationales
ac circumspectè prolatas sententias, vel Incu-
brationes, quæ hominem bestialitate exuunt,
atque

atque ad intelligibilem percipiendam veritatem ordinatè introducunt, licet non ab omnibus intelligantur. Certum est enim, crasse quorundam cecitati & imperitæ bestialitati neminem commode satis loqui posse. Ad hæc eius filia respondit: Grates ago Deo pro tam dilucida distinctione. Velim autem etiam abs te discere Pater, quid inter ordinatam & curiosam rationem, quid item inter falsam & veram Resignationem interfit.

De discrimine inter ordinatam & curiosam rationem.

CAPVT XIV.

POST prima illa certamina, quæ ad mortificandam carnem & sanguinem suscipiuntur, ad profundum peruenitur iter, ubi multi demerguntur: atque ipsum est Ratio curiosa. Eam autem ego rationem curiosam appello: Nimirum postquam homo à vitijs & formis inhærentibus est expeditus, atque ultra tempus & locum hilariter sese subrigit, quæ in parte ante præpeditus erat, ut naturali sua dignitate non posset uti, incipitque sese Rationalis aperire obtutus, potioriq; homo delectatione afficitur, quæ ex veritatis cognitione, Diuinæ beatitudinis fruitione, æternitatis contemplatione atque id genus alijs hauritur, creataque intelligentia sempiternam illam ac ininominabilem intelligentiam partim in seipsa & rebus omnibus intelligit, admiratione quadam & stupore perfunditur homo, dum seipsum

Ratio curiosa quid.

seipsum qualis dudum erat & qualis nunc sit, considerat, comperitque se prius non nisi miserum, indignum, Deo vacuum, cæcumque & a Deo prorsus remotum fuisse: at nunc videtur sibi Deo plenus esse, nec quicquam esse quod Deus non sit, sed Deum & res omnes prorsus vnum esse. Atque hoc pacto rem nimis quam vehementer, impetuosè ac intempestive aggreditur: efflorescitque & luxuriat ratio illius, perinde ut mustum efferuescens, quod necdum sedatum est Hinc iam in id, quod intellectu affectus est, aut sine discretionem illi obiectum est sub quadam illius similitudine, qui solus id est, cui vni inhærere debeat, non cuius alij, totum se effundit, vultque tum pro sensibus suis cuncta interpretari ac intelligere. Quo fit, ut creaturas omnes, puta cælum, tartarum, angelos, dæmones impropria sumptos natura abneget & refutet, quod se putet in illis Deum comprehendisse: nec tamen hæc adhuc funditus perspecta habet, quatenus discreta sint, quatenus maneant, & quatenus deficient. Fit ergo id genus hominibus haud secus quam apibus mellificis, quæ ubi primum ex suis erumpunt alvarijs, passim huc illucque errabundæ vagantur, incertæ quo tendant: quædam penitus aberrant & perduntur. Aliæ verò commodè ac ordine ad suas sedes reuertuntur. Sic & isti homines dum incomposita ac irreformata ratione Deum contemplari volunt, quatenus ipsorum fert naturalis captus, hæc atque illa abnegare volunt, sed nesciunt quo pacto oporteat. Verum quidem est, qui rectè secum agi velit, illi abneganda esse omnia, sed non capiunt

Apibus errabundis qui cur similes.

Abnegatio quæ qui futura.

vt hæc

ut hæc abnegatio fieri debeat, voluntque teme-
re hæc atque illa abnegare, & tum se tum res o-
mnes non nisi Deum volunt capere, idque sine
distinctione aliqua. Quod illis vitij accidit vel
ex immortificata naturæ calliditate. Putant e-
nim plerique se comprehendisse omnia, si hæc
possint relinquere sese & resignare. Sed verum
hoc non est. Siquidem iam primum ultra fos-
sas præsidiorum minimè expugnationum irre-
perunt, post quæ præsidia sese callidè & subti-
liter occultant, nec etiamnum possunt secun-
dum spiritualis essentiæ suæ ordinatam defici-
entiam occumbere in veram paupertatem spi-
ritus, cui quodam modo excidit omne extra-
neum obiectum, & quicquid Deus non est, &
simplex ac sempiterna diuinitas illi respondet
in suo minimè impedito sancto ocio, quemad-
modum in subditis perspicuè demonstrabitur.
Hoc ergo est, in quo nonnulli multis annis oc-
celsè herèt, ut nec intrò, nec foras se possint re-
cupere. Sed à me certa tibi proferetur discretio,
ut errare non possis.

Ut vera à falsa resignatione possit internosci.

CAPVT XV.

Scire hæc conuenit, triplicem esse suæ essen-
tiæ excessum. Primus est, cum quid omni-
nò suam perdit essentiam, ut postea illius
nihil super sit, sicut umbra redit in nihilū. Sed
hoc modò spiritus (id est, anima rationalis) in
suo exitu & abnegatione ad nihilū non redigi-
tur. Aeternum anima permanet ob rationalē
suam

Triplicis essen-
tiæ excessus.

I.

V 4

II.

2. Cor. 12.

III.

Duplex resignatio.

suam dignitatē & vires deiformes. Deus enim superessentialis est mens & intelligentia, ad cuius imaginem ipsa anima formata est: quare obrem impossibile est sic eam redire in nihil, ut perit corpus dum in cinerem soluitur. Alius est dimidius excessus, qui suum poscit locum & tempus, ut fit illis, qui per contemplationem in ipsam Dei essentiam rapiuntur, uti D. Paulus Apostolus: aut extra hoc, dum quis cunctat excedit formas & imagines, & seipsum transcendit, quod tamen non est diuturnum. Quando Paulus ad se redijt, eundem hominem reperit, quem prius, quod ad essentiam attingit. Tertius excessus dicitur infinita quædam sua Resignatio, qua quis propriæ voluptatis resignatione, seipsum permittit Deo, ubique se inuenit, tanquam seipsum nesciat, & solus Deus suo iure ubique dominetur. Hæc resignatio non facile potest integra & inuiolata permanere, quamdiu corpus & anima cohærent. Nam ubi se quispiam modo reliquit ac resignauit, putatque se quantum ad portionem sensitiuam vel sensualitatem attingit, excessisse in Deum, ita ut nolit vnquam posthac seipsum repetere vel usurpare, mox in momento ipse & nequæ natura illius ad sese reflectitur, estque idem qui erat prius, atque hoc pacto iterum iterumque se se relinquere & abnegare seu resignare habet. Ergo si quis ex hac fragili resignatione velit agere quicquid libet, id planè falsum & errore obnoxium fuerit: licet verum sit, quatenus à seipso deficit & auertitur, atque per excessum hunc in Deum recipitur, eatenus eum in veritate persistere. Cæterum posse profuerit, duplicem

cem intemeri resignationem, quarum vna dicitur antecedens, altera subsequens resignatio: cuius potest ista proferri similitudo: Fures ex deprauata natura sua istigantur ad furandum: sed reclamatur Ratio, ne id agant, eò quòd nefas sit. Hic si fures abnegarent sese & rationi se permitterent, ea diceretur antecedens ac præclarior resignatio. Maneret enim illis innocentia. Si autem nolint relinquere sese, sed suæ obtemperarent libidini, ac deinde capti & morti adiudicati, ad mortem ipsam æquanimiter se resignent, quando ita necesse est, ea dicitur subsequens resignatio: quæ quidem bona est, & eis æternam præstat salutem. Sed prior illa infinito ac incomparabiliter præclarior potiorque fuisset. Non est igitur, cur quisquam temere sese ad omnia etiam vitia resignet, vt amētes quidam aiunt per scelera & peccata omnia vadandum esse, si quis velit ad perfectam resignationem perungere. Quod est à verò longè remotissimum. Nemo enim illum insanum dubitet dicere, qui se suapte spontè idcirco in cœnū progit, vt post euadat mundior. Itaque præcipui Dei amici ita affecti sunt, vt sese optent funditus relinquere, & in præcedenti illa resignatione stabiles perseverent absque illa sui repetita usurpatione, quantum fert humana imbecillitas. Quod vbi non satis præstant, gement & dolent: quanquam præ cæteris id ipsi peculiarius habent, quod expeditius sese ab omni impedimento excutere nōrunt. Dum enim sic gement & dolent, hoc ipso subsequens in eis existit resignatio, quæ ab itō in pristinum gradum restituitur: quæ est dum se adhuc homines esse

Antecedens.

Subsequens.

Ad vitia neminem sibi resignandū.

Verorū Dei amicorū cōditio quæ.

esse sentiunt, & tamen in Dei laudem id ferunt. Atque hæc subsequens resignatio habet interdum utilitatem suam ex ipsa sui agnitione, ubi mox deficit gemitus & lamenta, quatenus iusmodi sunt, ac simpliciter regenerantur in id quod ante erant. Quod si tunc quispiam ita iamnum imperfectus sibi ipsi vellet fraudulenter ac improbè obsequi, & suis malis desiderij obtemperare, cogitaretque ubi quis ex accedenti rursus sese usurpat, seseque refumit, & secundum exteriorem hominem aliquid perpetravitij, nihil id obesse, modò secundum habitum & essentiam absque vlla sui repetita usurpatione eodem animo persistat, equidem illi ego plane confirmo, quod seipsum non capiat, & quid dicat ignoret. Quòd sanè eruditi Theologi omnes probè nouerunt, si saltem non uelint ant quid accidens sit. Id enim accidens dicitur, quod subiecto potest vel inesse vel non inesse absque illius corruptione, ut est color in aëre vel tabula. Sed hic secus est. Corpus enim & anima, quæ ipsi ex inscitia accidentia vocantur, duæ substantiæ sunt, quæ homini non accidunt, sed ut eius essentia insunt. Quamobrem quilibet homo, quantumuis sublimiter intelligat, quid sit resignare vel usurpare sese, habet in se ipso ubi & virtutem & vitium operetur. Etenim uerò spiritus annihilatio, in simplicem diuinitatem excessus, denique excellentia omnium & perfectio non ita accipienda sunt, quasi hominis creata essentia in Deum transformetur, ut sit Deus idem quod homo est, nec tamen id homo ob suam ruditatem intelligat: aut quod homo fiat DEVS, sua substantia in nihilum reducta:

Accidens
quid.

Vera resignatio
sui in quo
consistat.

defecta: sed in eo potius illa consistunt, ut quis à seipso deficiat, seque despiciat ex diuinitatis contemplatione: atque in hoc raptu spiritus ordinatè excedit, & hic demum rectè habet, quando Deus illi est omnia in omnibus, & omnia propemodum illi in Deum mutata sunt. Siquidem cuncta illi eo respondent modo, ut sunt in Deo, & nihilominus singula quæque id manent quod sunt secundum naturalem essentiam: quod tamen irrationalis cæcitas, ac inexercitata ratio pro hac vera discretionè neque vult neque potest ritè perpendere. Porro de hac ipsa discretionè eas quæ sequuntur sententias & institutiones spirituales ac intellectuales annotare poteris, quibus homo à sua beatitudine retrahitur, & ad supremam suam beatitudinem dirigitur.

De rationali hominis exterioris in ipsius interiori introductione.

CAPVT XVI.

Vitæ tuæ ratio & conuersatio interna sit, neque foras te proferas aut erumpas, siue verbis, siue gestibus, moribus, & conuersatione. Veritati simpliciter faciat satis: atque in eis, quæ tibi euenerint, non nimium tibi ipsi subuenias, neque inordinatam admittas sollicitudinem. Enimuerd qui plus satis sibi ipsis subueniunt, ijs à veritate minus fertur subleuari. Quando hominibus ades, ab animo excutidas visa & audita, atque vni Deo, qui intus tibi habitat, inhærescas. Sedulo id cures,

Yz

**Delectatio
qui capienda**

vt in actionibus tuis ratio sibi primas vendet. Nanque dum portio sensitua siue sensu-
tas primas occupare finitur, omne malorum
genus inde emergit. Delectatio non secundum
sensus, sed iuxta veritatem capienda est. De-
quidem nos delectatione priuare non vult, sed
perfectam atq; modis omnibus absolutam in
seipso nobis delectationem præbere appetit.
Fortissima sui abiectio vel submissio, superat

**Abiectio que
quid momenti
habeat.**

Luc. 10.

in se ascensionem complectitur. Qui in intimo
versari petit, is omnem fugiat oportet multi-
PLICITATEM, renuncietq; omnibus, quæ ab vno
eo illo vno aliena sunt. Vnum nanque, vt Do-
minus ait, est necessarium. Vbi natura ex sensu-
bus vel sensualitate operatur, ibi labor est
dolor, & rationis obnubilatio. Nulla maior
voluptas est, quam vbi me vnum inuenio in
Deo, totusq; Deo sum in omnibus, ita vt me
oportet. Hominis probè resignati exercitatio

**Imagines
quoad feren-
da.**

est, à seipso deficere. Quando amor noster circa
imagines & personas versatur, iam accendens
amantur: idque non rectè habet. Attamen fe-
rendæ sunt imagines piæ, donec decidant. In-
terdum nanque ex interno simplici fundo
proficiscitur, neque illic imaginis præsentia
diligitur. Atqui vbi omnia & nos ipsos quoque
abnegamus, vnumque sumus, inibi Deus est.
Qui inordinate foras prorupit per sensus, is de
in prosperis & aduersis crucem ferat ac patie-
tur. Siquidem patiens vel afflicus aliquis, plus
amat vno anno, quam alius foras erumpens
annis tribus. Si creaturis omnibus produsse tu-
pis, à creaturis omnibus ad Deum te conuer-
tum. Dum quis rem sue causam comprehendere
nequit,

**Creaturis qui
omnibus pro-
fit.**

nequit, si se possit expedire in Deo, iam ab ipsa
 re vel causa comprehenditur. Vide ne sic vn-
 quam te foras recipias, vt ab interno propofi-
 to tuo & Christi exemplo discordes. Naturæ v-
 bi que sese admiscens propositionibus inui-
 gilandum est, eæque propter Deum suppressen-
 da ac mortificandæ. Si vnitatem aut simplici-
 tatem ferre nolis, feras necesse est multiplici-
 tatem. Vsque adeo à cunctis rerum simulachris
 ac imaginibus te nudam serues, ac si nulla præ-
 ter te in terris creatura sit, tumq; ita dicas. E-
 quidem tibi esse non possum, vt tu mihi es. Na-
 tura quidem naturam diligit, seseque semper
 spectat. Plerique natura sunt nimis indomita
 & immortificata, & eorum exterior homo fo-
 ris permanere cupit, & in maximis versari pe-
 riculis. Sese intus continere, maiores vires præ-
 stat, quam possint res externæ. Atque ex vna
 inordinatione alia proficiscitur. Vide ne natu-
 ra prægrauetur, atque vt externus homo cum
 interno consentiat. Obserua hominem tuum
 internum. Siquidem in hoc externa pariter &
 interna vita consistit. Perfectissima exigit resi-
 gnatio, vt natura perpetim freno contineatur,
 tamque præsentis animo sibi quisque semper
 cui gilet ac moderetur, ne natura vltra limi-
 tes feratur & excedat. Quereris te nimis etiam
 dum actuosam, irresignatam & impatientem
 esse. Sed ne desperes. Quanto ad tuam mortifica-
 tionem propius accesseris, eò melius. Viti-
 orum omnium radix, totiusque veritatis obnubila-
 tio, est amor rerum labentium. Sed sensuum
 occubitus, veritatis exortus est. Quando vires
 naturæ à sua actione deficiunt, & elementa, ex
 quibus

Naturam se-
 se vbi que
 spectare.

Resignatio
 quæ quid ex-
 igit.

Occasus quæ
 qualis fiat
 exortus.

quibus corpus constat, repurgantur ac defa-
 rur, iam vires æternam suam obtinent nobi-
 ratem, dum se in suam originem Deum recipi-
 unt. Cunctarum animæ virium vna essentialis
 actio est, ea videlicet, vt æternæ veritati (id est
 Deo) satisfaciât. Neque quicquam frugi ferum
 est, nisi quod intimo diuinæ naturæ fundo
 forme sit. Multi quidem diuina se gratia mo-
 ueri senserunt, sed illi morem non gesserunt
 internusq; & externus homo eorum longè
 dissident: atq; hoc defectu complures laborant.
 Natura liberæ voluntatis arbitrio subiecta
 quanto igitur longius per sensus euagantur,
 tanto sumus à Deo remotiores: quanto autem
 magis intrò ingredimur, eo efficimur Deo pro-
 pinquiores. Qui diuinitus verè illuminat, et
 is ea quæ sensibus agenda sunt, præclarioribus
 cit. Quisquis naturam, dum ea adhuc in puri-
 tate & veritatis cognitione versatur, fructu
 quodam retinet, hoc ipso eo illam adducit,
 vt externa rectius administret & exequatur. Alio-
 qui in res temporarias effunditur & diffunditur,
 ita vt nihil rectè exequi possit. Paritas, & intel-
 ligentia, & virtutes naturam reddunt locuple-
 tem. In subtractione autem fit nonnunquam
 vt creaturæ hominem propius in Deum ire com-
 pellant. Quid quæso est, quod homines vique
 adeo incitat illicitos sectari modos prauosque
 mores? Nimirum quod propria venantur ob-
 lectamenta. Vera autem oblectamenta non nisi
 in resignatione inueniuntur, non autem in
 improbis studijs. Quod quosdam tam crebri-
 inordinatus animi mœror occupat, ea causa
 est, quod sibiipsis non semper exactè inuigilant

Qui Deo ma-
 gis propin-
 quetur.

Natura qui-
 bus locuple-
 tior reddatur

Oblectamē-
 ta quæ qualia

lant & cauent, ne quid vnquam culpabile admittant. Iniuria opprimi, est amicorum Dei victoria. Intus tecum commoraris. Multa quidem sese vt necessaria offerent, sed non nisi quædam naturæ fomenta sunt. Non carat vitio, multa aggredi, nec tamen quicquam absoluere. Constante perseverandum est, donec perspicuum sit, Deusne an natura operetur. Da operam, vt natura ex prima sua puritate agat in DEO absque extraneis rationibus. Probè resignatus homo his quatuor nauabit operam. Primum est, vt conuersatione honestus ac bene moratus sit, ita vt bona omnia ex ipso sine ipso proficiantur. Secundum, vt sensibus modestus & quietus sit, nec vitro ceteroque ramusculos & hominum dicta circumferat: (nanque id multas parit imagines) atque ita sensus interni quodam ocio & libertate perfruatur. Tertium, vt nulli rei amore adhærescat, certus videlicet, vana esse & nihil omnia. Quartum, ne contendat aut pugnet verbis, sed amice se gerat erga eos, per quos Deus eum excitare, expedit, & extra seipsum suamque proprietatem eijcere molitur. Stabilis tecum persevera, donec extra teipsam absque teipsa agaris. Obserua num bonorum hominum amicitia in sensuali quodam affectu vel fauore, aut in simplicitate procedat. Nemini te admone offeras. Nam qui se plurimum offerunt, sepe minimum placent. Tuum est vitam agere internam, siue introrsus tendentem. Dedeceplane quenquam aduersus suum institutum agere. Beatus est, qui non multis vitur

Mecoris inordinati causa qua.

Resignato cui quibus quatuor incumbendum.

II.

III.

IV.

Beatus quis.

verbis

verbis atque modis. Multa nanque verba multaque modi, plura quoque adferunt accidentia & imagines. Intus tere contineas, neque ab operatione erumpas foras: alioqui crucem reportabis. Quidam ex gratia sensibili in prosperis & aduersis casibus operantur. Sed non licet ea seipsum quærere. In perfecta sui abnegatione & submissione cuncta consummantur. Quando Christus ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, tum demum consummata erant omnia. Deus & diabolus non eodem modo sunt in homine imperfecto, seipsum spectare volente. Qui autem sese funditus abnegat & religiosis poterit nosse differentiam. Vis perpetua gaudere quiete & tranquillitate? In prosperis & aduersis eodem amore, pari fidelitate atque eadem fide in Deo perseuera. Qui in externis deuotionem animi conseruat, eius deuotio interior & solidior est, quam qui in solis studijs internus deuotus & internus est. Idque fit, num seipsum quam quærit & spectat. Grandior numerus est hominum soli intellectui curiosè excolendo vacantium, quam simplicium. Intellectui soli vacantes eos voco, in quibus intellectus primum sibi locum vendicat. Simplicitas autem ob suam nuditatem, rerum iuxta sensus consideratarum amittit multipliciter, neque multis sese occupat. Siquidem quodammodo in hominis transijt essentiam, utpote qui verus puer effectus est. Qui omnia sibi esse vult, se ipsi & rebus omnibus nihil fiat oportet. O verè beatum illum, qui stabilis absque multiplicitate perseuerat. Copiosus nanque illi in caelestia datur accessus. Bona intentio non semper

Luc. 23.

Perpetue quietis & tranquillitatis amator quid agendum.

Intellectui soli vacantes qui.

sufficit. Siquidem haud rarò veræ unitati vel
 unioni medium obijcit. Oculos nostros nun-
 quam quicquam attente considerare oportet,
 nisi quod ab imaginibus nos expediat. La-
 sum Adæ, & pœnas atque miseras omnes il-
 lum consecutas, longanimi patientia libenter
 per peti debemus. Nam qui resignatus est, nul-
 lam aduersitatem animo suo imprimit. Quod
 autem homines queruli sunt, & aduersa mole-
 stè ferunt, id vtrique imperfectionis est, atque
 ob eam rem profligandum est. Inordinata siue
 inuisa omnis libertas, seipsam pro scopo ha-
 bet, siue ad sese reflectitur. Rationabili ac iusta
 occupatione velle esse absolutum, id iniquissi-
 mum ocium est. Homo resignatus, creaturarû
 desitui imaginibus, & Christum sibi impri-
 mere, atque in diuinitatem transformari de-
 bet. Qui sese cum Christo capit, is cuncta in suo
 permittit ordine. Vbi quis à sese defecit, atque
 vnum cum Christo effectus est, iam benè ha-
 bet. Dum quis sese ad veritatem intrò recipere
 & accommodare instituit, intus ei defectus &
 excessus sui illucent, aduertitque etiamnum
 creaturas, per quas auersus est, sibi inhærere:
 tumq; ob id intus repræhenditur, patienter su-
 stinet, videns se necdum expeditum atque in
 nihilum redactum esse. Porro sic per peti, id ni-
 mirum est simplicem effici. Peccatum consci-
 entiz mœrorem parit. Sed dum inde auertimur,
 rursus decidit. Si queras quod sit hominis pro-
 be resignati obiectum in omnibus, id nimirum
 est, sibi ipsi excidere, aut sese resignare in omni-
 bus. Tum verò vna cum ipso cuncta illi exci-
 dunt. Minimum inter Deum & animam me-

Quærela ho-
 minum vnde

Hominis re-
 signati quid
 sit.

Minimū me-
 dium & ma-
 ximum inter
 Deum & ani-
 mam quæ.

X dium,

dium, est cogitatio. Maximum autem mediū est propriæ inhærere voluntati. Deceret sanè nullam homini resignato præterire horam, qua non & Deum & seipsum obseruaret ac intueretur. Idemque non id semper attendere deberet, quibus opus habeat, sed etiam quibus carere possit. Cum istiusmodi homo resignatus in se recipere arque ad veritatem adiungere & applicare constituit. Primò curabit, ventrosus penetret, & sensus excedat. Siquidem *Spiritus est Deus*. Secundò considerabit, num quod medium contraxerit. Tertio perferretur, num aliqua in re aut vllò sensuum obiecto sese quærat & spectet. Quarto in eo lumine totius diuinæ essentiæ præsentiam attendet, persuadebitque se illius solius esse. Quantum se quisque & à seipso & caducis creaturis omnibus auertit, tantum in Deo vnitur & beatus efficitur. Si verè resignata esse cupis, da operæ, vt quomodocunque Deus & seipso & creaturis suis omnibus in tristibus & iucundis rebus se erga te gerat, semper in ijs equali sis animo, easque ac deseras quod tuum est. Sensus tuos curis præsentibus formis ac imaginibus præcludas. Expedita & libera semper sis ab omnibus, quæ ratio foras spectans & externis dedita eligit, quæ voluntati inhærent, plausibilemque ingerunt voluptatem: neque vlla in re extra Deum acquiescas. Dum te præsentem quippiam mali admittitur, non te admisceas, neque coopereris. Qui perpetuò secum habitat, magnas acquirit vires. Hominis resignati secundum corpus recreatio, restricta ac necessaria erit commutatio siue innouatio operum

I.

Ioan 4.

II.

III.

IV.

Vt quis verè
sic resignatus,
quid agendum,

eiusmodi, à quibus animo expedito sese possit auertere. Prout quisque plus minusue resignatus est, ita etiam magis vel minus rebus temporarijs afficitur ac promouetur. Homini cuiusdam semi resignato, cum duros nimirum sentiret dolores, eiusmodi intus verba dicebantur: Tam studiosè meî curam geres, teque aded contemnes, modo scias mecum rectè ac prospere agi, vt nihili facias vtcunque tecum agatur. Homo resignatus dum sensibus intro verbis in secreto sese collocat, quo minus intus reperit adminiculi siue sustentacoli, eo magis intus cruciatur: sed quo celerius emoritur, eo citius superat ac euadit. Sensuum in externa effusio, vitam internam & animi deuotionem interturbat. Vide ne foras trahentes causas vel occupationes aucuperis. Dum autem eiusmodi causæ te requirunt, quædum fas est, non te sinas reperiri. Semper celeriter introrsus te recipe. Vita naturalis in moribus siue effectibus ac sensibus sese prodit. Sed qui in his se deserit, atque à seipso deficit, is vitam supernaturalem inchoat. Quidam citra impedimentum ascendunt in Deum, sed non stabiliter perseverant. Nodam amplectere & sectare resignationem. Innumerò desideria immoderata possint mentium occultum efficere. Homo resignatus, vires animæ suæ vsque aded domare debet, vbi sese intus adspexerit, cernere id possit. Homo resignatus aded à seipso manet expeditus, ac si nihil de se nôrit. Siquidem in vno illo, quod Deus est, cuncta in ipso honestissime ordinata sunt. Studium adhibe erga hominem exteriolem, vt homini interno viuatur. idque

Sensus in externa effusione quædam malum.

Vires quæ qui domandæ.

Resignata cō-
uerſio quam
Deo grata.

bestiales omnes ac sensuales calcādo voluptates. Resignata conuerſio siue reuerſio, nonnunquam Deo grātor est, quam sibi placens perſeuerantia. Collige animam tuam ab sensibus externis, per quos in rerum externarum multiplicitem dispersa est. Inrorſus redi, iterum atque iterum intrò reuertere in unitatem, & DEO fruire, fortiter perseuera, nec vquam contenta sis, donec in hac vita temporaria, quatenus humanæ imbecillitati possibile est, id assequaris, quod in æterna semper præſens est.

Quid sit Deus.

CAPVT XVII.

POST eiusmodi rationalem hominis externi in internum introductionem, extiterunt in spiritali illa Ministri filia sublimis intelligentiæ, de quibus cum ex Ministro esset sciscitata, vtrum percontari sibi liceret, ille respondit: Licet plane: quandoquidem ordinatè per oportuna & congrua media siue exercitia progressa es, permillum est spiritali rationi tuæ de rebus sublimibus inquirere. Itaque quicquid voles interroga. Ait illa: Dic mihi pater, quid sit DEVS, atque vt sit DEVS, id est, vt & simplex sit & trinus. Respondit Minister: Hæ nimirum sublimes sunt quæstiones. Quod ad primam quæstionem attinet. Quid sit Deus, noueris quotquot vnquam Doctores exciterint, eam absoluerè nō potuisse: siquidem sensus & rationem omnem excedit. Tamen qui studiosus est, si quærendi non remittat diligentiam,

Deus quid sit
perfectè sciri
aut dici ne-
quire.

etiam, obtinet quandam Dei notitiam, sed valde remotam: In ipsa autem Dei cognitione vita aeterna & suprema hominis beatitudo consistit. Hac ratione priscis seculis Deum inuestigarunt quidam non contemnendi Philosophi, maximè acutissimus ille Aristoteles, qui ex rerum natura & ordine ipsum naturæ authorem exploravit. Quæsit sedulo, inuenitque naturæ aptissimo confirmatus ordine & cursu, necessarium vnum aliquem esse principem & Dominum totius vniuersi, quem nos Deum nuncupamus. De hoc Deo ac Domino nostro ea nobis cognitio suppetit, esse eam substantiam immortalem, æternam sine ante vel post, simplicem, nudam, incommutabilem, incorpoream ac existentem spiritum, cuius substantia vita illius & operatio est, cuius viuacissima intelligentia in seipsa & per seipsam cuncta nouit, cuius essentia in seipsa abyssus quædam est deliciarum & gaudiorum, qui denique sui ipsius & omnium ipso in futura vita fructurorum supernaturalis, ineffabilis & iucundissima beatitudo est. His auditis suspiciens Virgo, ait: Honorum sanè iucunda commemoratio est, ista quæ audire iuuat, quippe quæ cor ipsum excitant, eriguntque spiritum sursum longè ultra seipsum. Perge igitur mi Pater de his sermonem texere. Ait Minister: Diuina essentia, de qua loquimur, eiusmodi intelligibilis vel intellectualis substantia est, vt oculis corporeis non possit in seipsa conspici: potest tamen in suis effectibus cerni, vt egregium artificem ex eius opere probamus. Vt enim Apostolus confirmat, *Uisibilia Dei à creatura Mundi per ea, quæ facta* Rom. i.

Deum qui quò inuenerint.

Deus quid.

Diuina essentia qualis sit substantia.

X 3 sunt,

sunt, intellecta conspiciantur. Sunt namque creaturæ ceu speculum quoddam, in quibus Deus reflectet. Quæ cognitio, speculatio dicitur, qua illud præstantissimum Mundi architectum in eius opere contemplamur. Age iam sursum & circumcirca per cuncta Mundi climata respice, cerne quàm amplum, quàm celsum et cælum ornatissimum, quam cursu velox, quàm mirificè suus ipsum opifex decorarit septem illis errantibus sideribus quæ planetæ vocantur, quorum singula, luna dempta, sua magnitudine longè vincunt orbem terræ: quàm denique innumera micantium stellarum numerositate præclarè ornatum sit. Perpende, quos fecunditatis, quos fructus, quas opes Sol efficit in Terra, dum æstivo tempore nullis impeditus nubibus radios suos diffundit, ut prævirescant, ut folia & gramina erumpant, flores germinant, ut sylvæ & plani æquora campophilomenarum variarumque avium caculissimum resonent, ut generis omnis bestiolæ seuam hyemis asperitatem reconditæ præcedant lætabundæ, atque ut sit inter homines alii nascantur, alii senescant, & præ nimia alacritate hilares appareant. Si ergo Omnipotens DEVS tam amabilis & iucundus es in creaturis tuis, quam in teipsa felix, beatus, omnis plenus gaudij, quam formosus & pulcher es? Accede ulterius filia ad ipsa elementa contemplanda: Contuere Terram, Aquam, Aërem, & Ignem, & cuncta quæ in his versantur mira & stupenda, infinita inter se diversitate discreta, multiplicemque varietatem hominum, animalium, avium, piscium, & marium.

Cæli ornatu
quantus.

Sol quas re-
bus subun-
ribus confe-
rat opes.

marinorum monstrorum. Atque hæc omnia
 laude & honore prosequuntur inexhaustam Deus conser-
 illam immensitatem, quæ intra te est. uator omniū Ecquis
 tandem Domine cuncta hæc conseruat, & nu-
 tritatur? Nimirum tu Domine singulis pro
 suo modo prouides, magnis & exiguis, opu-
 lentis & egenis. Tu Deus ista facis, tu re-
 uerè solus es **D E V S** verus. En filia **D E V M**
 tandem quaesitum nunc inuenisti. Suscipe mo-
 do nitentibus oculis, hilari vultu, exultanti
 corde, eumque intuere & amplectere exrentis
 animæ & mentis brachijs, eique laudes & gra-
 tias age, tanquam creaturarum omnium vni-
 co ac præcipuo Imperatori. Ex hac specula-
 tione in homine piè ac amanter affecto inti-
 mum cordis iubilum exoritur, iubilum nan-
 que gaudium cordis est, quod lingua effari
 non potest, licet cor animamque efficaciter
 perfuderit. Eheu animaduerto ego, nunc in
 meipso os animæ meæ hæc tensus clausum, tibi
 patet factum esse: cogorque in laudem Dei
 quippiam secreti tibi edicere, quod hucusque
 nemini adhuc enunciaui. Dominicanus qui-
 dam Monachus, mihi probè notus, in suo ex-
 ordio toto ferè decennio eiusmodi excellenti
 gratiam quotidie bis à Deo præstitam sibi sen-
 tit, præterea manè & vespere, idque tanto temporis
 spatio, quo potuissent bis legi Vigilæ (quas
 vocant) Mortuorum. Interea ille ad eum erat ab-
 sorptus in Deum æternam sapientiam, ut nihil
 inde eloqui posset. Quandoque familiare cum
 Deo miscebat colloquium, non ore, sed mente,
 alias lamentabiliter ad illum suspirabat, in-
 terdum vbertim plorabat, nonnunquam raci-

Iubilū quid.

Paradigma.

tus secum ridebat. Sæpè sibi videbatur ferè
 sublimis in aëre, atque inter tempus & æterni-
 tatem in profundo mirabilium diuinorum,
 quæ nemo satis capere sufficit, natare ac perua-
 gari. Vnde cor eius adeo redundabat, vt inter-
 dum manum illi admodum laboranti admo-
 uens, diceret: Eheu cor meum, quantum hodie
 tibi laboris accidet? Quodam die per visum
 spiritaliter vidit cor paternum sine vlllo me-
 dio, modo quodam ferè ineffabili ad ipsius
 cor suaviter applicari, idemq; cor paternum,
 id est, æternam sapientiam intrinsecus sine for-
 mis ipsius cordi loqui. Tum ille spiritali illo
 perfusus iubilo, hilariter dixit: Eia dilectè vi-
 nice atque amantissime, nudato corde & sim-
 plici omnium rerum creatarum nuditate com-
 plector formæ nesciam diuinitatem tuam. O
 Deus amicorum omnium longè excellentissi-
 me. Sanè cuiuslibet temporarij amici vel ma-
 ximus amor erga amicum suum, tamen discre-
 tionem & diuersitatem habet. At tu omnis veri
 amoris infinita iucunditas, in corda te amari-
 tium liquidus influis, atque in animæ essentia
 nudum ac totum omnino te infundis, ita vt
 nihil tui foris remaneat, sed amantissime cum
 dilecto coniungaris ac vniaris. Ad hæc Virgo
 sic locuta est: Ingens profecto ea gratia est vbi
 sub hac nihili ratione quispiam in Deum rap-
 pitur. Velim tamen institui, num hoc perfec-
 tissimum sit an non. Cui Minister, Non est, in-
 quit, hoc perfectissimū sed est prælium quod-
 dam suaviter illiciens hominem, quò essentia-
 lem in Deum excessum ac immersionem ob-
 tineat. Interroganti Virgini, quid essentiale vel
 non

Essentialis
homo quis.

non essentialē vocaret, respondit: Essentialē
vel habitualem, vt ita dicam, hominem appel-
lo, qui stabili exercitatione virtutum adeptus
est, vt pro summa ipsarum perfectione & ex-
cellētia iucunde & delectabiliter eas efficiat,
quemadmodum Solis splendor in se stabilis
perseuerat. Eam autem minimē essentialē di-
xerim, cui virtutum splendor instabili ac im-
perfecto quodam modo lucet, vt est splendor
lunæ. Prior illa gratiæ plena delectatio, homi-
nis nondum virtutum habitum assecuti, quem
non essentialē dixi, spiritum quasi seducit, vt
optet eam semper experiri, qua cum fruitur,
gaudet: cum priuatur, dolet inordinate: & dum
hac arridet gratia, ægre & inuitus se transfert
ad alia etiam ex DEI voluntate faciēda, vt
subiecto doceberis exemplo. Minister Sapien-
tiæ quadam vice in sacello quodam obambu-
labat, eratq; cor eius diuino refertum iubilo.
Ecce autem ostiarius eum euocauit ad scēmi-
nam quandam confiteri volentem. Tum ille
inuitus deserens internam cordis voluptatem,
durè accepit ostiarium, iussitq; vt diceret scē-
minæ, alium sibi accersiri mandaret, se iam il-
lus confessionem recipere nolle. At illa pecca-
torum pondere pressa & afflicta, dixit se illi
speciatim piè affici, & confidere se ab illo con-
solatum iri, nec se alteri confiteri velle. Cum
autem ille exire noller, cœpit mulier mœstissi-
mo corde in lachrymas prorumpere, recepitq;
se in angulum quendam, & plorauit diu satis.
Interea Deus celeriter Ministro iucundam il-
lud subtraxit gratiam, moxq; cor illius in sili-
cis morem obduruit. Illo autem scire cupiente

Paradigma
aliud de suo
nō querendo

vnde id accideret, intus ei respondit Deus: Et
 vt tu miseram illam miserè afflictam, conso-
 lationis expertem à te repulisti, ita etiam ego
 Diuinam abs te consolationem subduxi. Ille
 medullitus ingemiscens, pectusquetundens, re-
 pentè ad portam properauit: vbi cum femi-
 nam non inuenisset, malè se habuit. Ostracis
 autem vndiq; cursitans, fentem eam inuenit,
 iussitq; ad portam redire. Quam venientem Mi-
 nister placidus excepit, eiusq; mœre ore contra-
 ctum animum blanda consolatione erexit. De-
 inde ab ea recedens, ad sacellum redijt, ac eodè
 momento benigniss. Deus cum sua consolati-
 one redijt, vt ante fuerat. Posthæc Virgo sic lo-
 cuta est: Facile ille afflictiones tulerit, cui eius-
 modi iubilum & interna præstantur gaudia.
 Arqui, ait Minister, deinceps ea omnia multo
 sunt afflictionibus, ijsq; duris valdè compen-
 sanda. Verum vbi tandem Ministri cruces ro-
 mitti cœperunt, Deoq; commodum visum fuit,
 eiusmodi iubili gratia illi reddida est, & pen-
 perpetua in illo perseverauit, siue domi, siue
 foris, siue inter homines, siue solus fuisset. Cre-
 bro ad mensam aut in balneis sedenti eadem
 præstita est gratia, non tamen eo modo qui for-
 ras erumperet, sed introrsus tenderet.

Vbi sit Deus.

CAPVT XVIII.

DEinde Virgo ita ait: Didici iam vterque
 Pater, quid sit Deus: sed vbi sit, etiam scire
 ardeo. Audies id, inquit Minister
 Theolo-

Theologorum sententia est, non esse Deum in certo aliquo loco, sed vbiq̄ue & omnia in omnibus. Ijdem Doctores, quod te attendere velim, ex arte dialectica asseuerant, quandoque ad rei notitiam ex eius nomine perueniri. Porro Doct̄or quidam primum Dei nomen ipsum *Esse* appellat. Ad hanc ergo essentiam, eiusque puram ac nudam simplicitatem tuos aduerte oculos, ita vt missam facias hanc illamue substantiam, quæ in partes possit distrahi vel separari, solumque eam ipsetes essentiam in seipsa, quæ nihil admixtum habeat de non esse. Quicquid enim nihil est, negat id quod est. Sic etiam id quod est, negatio est illius quod non est. Quod adhuc fieri debet vel iam fuit, id in presentiarum non est. Porro essentia permixta, vel non esse agnoscere non potest, nisi omnimodæ essentia consideratione. Hæc essentia non est particularis huius aut illius creaturæ essentia: siquidem particularis vel diuisibilis essentia omnis extraneo quodam permixta est, quò possit aliud quippiam suscipere. Inde colligi potest, diuinam illam prorsusque anonymam substantiam in seipsa omnimodam esse essentiam, quæ particulares omnes essentias sua presentia conf. ruet. Quanta igitur humanæ rationis cæcitas est, non posse eam id experiri vel probare, sine quo tamen non potest vel cognoscere, vel perspicere. Dum oculus corporis serid intentus est ad varios cõtendos colores, non obseruat vel attendit litem illam, per quam cætera quæ que conspicit, aut etiamli cernit eam, non tamen obseruat. Ita etiam oculus mentis nostræ, dum in hanc

aut

Primum Dei
nomē quod.

Essentia quæ
qualis.

Quantillus
intellectus
humanus.

aut illam substantiam vel rem intēditur, flo-
cipendit eam essentiam, quæ est supra omnia
purissimum ac simplicissimum ens, & cum
virtute ac beneficio cætera capere potest, id mi-
nime obseruat. Quamobrem sapiens ille Ari-
stoteles author est, oculum intelligentiæ no-
stræ ob suam imbecillitatem ita se habere erga
ens illud, quod in seipso clarissimum est, vt o-
culos noctuæ vel vespertilionis erga Solis mi-
cantes radios. Enimuerd particulares vel diui-
sæ substantiæ animum distrahunt, distent
& occæcant, vt non possit intendere in diuinâ
caliginem, quæ in seipsa est lucidissima clari-
tudo. Age iam internos intende obtutus, & si
potes, essentiam illam in eius nuda ac simplici
puritate contemplare. Vbi mox reipsa depre-
hendis non esse eam aliunde, & nec prius nec
posterius illi inesse, neque foris aut int^o vllam
ei mutabilitatem posse accidere, sed esse sim-
plicissimam substantiam, eandemq; ætuo sim-
plicissimam, præsentissimam, & perfectissimam, in
quam nullus cadat defectus, nulla alteratio,
sed semper vnice vnica, in simplici nuditate
permanere. Quæ veritas ita est certa & euidens
rationi illuminatæ, vt diuersum cogitare ne-
queat: quandoquidem alia ex alijs consequi-
tur & confirmantur. Cum enim sit simplex illa
essentia, etiam necesse est primam esse, nec ali-
unde profectam, sed æternam esse. Cum autem
prima sit, & simplex & æterna, consequens fit
præsentissimam esse, summaque perfectione
simplicitate constare, cui nihil adiungi, nihil
abiungi queat. Hæc quæ de simplici diuinitate
dicta sunt, si capere potes, non mediocriter in
incom-

incomprehensibilem occultæ diuinæ veritatis lucem introductam te senties. Istud ens purissimum ac simplicissimum, principalis causa efficiens est rerum omnium creatarum, suaque singulari præsentia quicquid ex tempore factum est, seu principium & finis omnium circumplectitur. Totum est intra omnia, totum extra omnia. Vnde Doctor quidam: Deus est, inquit, veluti circulus quidam, cuius centrum vbi que est, & circumferentia vel ambitus nusquam.

Ens purissimum causa rerum omnium creatarum

De Trinitate Dei.

CAPVT XIX.

His absolutis, Virgo ait: Benedictus Deus. Quantum capere potui, satis iam audiui, Quid sit Deus, & vbi sit Deus. Hoc adhuc explicandum superest, cum sit ita simplex, ut simul etiam trinus sit. Respondit Minister: Vnaqueque essentia quanto est in seipsa simplicior, tanto magis multiplex est efficacia virtutis ac operationis suæ. Quod nihil habet, dat nihil potest: quod multis abundat, potest largiri plurima. Jam ante dictum est de influente & redundante bono illo quod est Deus in seipso: cuius infinita ac superessentialis bonitas compellit eum, ut suam beatitudinem non sit habere solus, sed liberaliter eam & intra & extra sese communicet. Necessarium autem consequitur, summum bonum sublimissima ac propinquissima ratione sese diffundere: quod non posset, nisi in præsentissimum, intimum, substantiale, personale, naturale, quod à nullo possit cogi, nullius indigum, infinitum ac perfectum

Bonitas Dei infinita qui efficiat.

fectum esset. Quicquid autem aliarum est communicationum in rebus temporarijs aut creaturis, suam trahit originem ex aeterna illa immensa bonitatis Dei communicatione vel diffusione ac emanatione. Aiuntq; Theologi quidam, quod in creaturarum ex prima origine effluxu circularis quidam reflexus sit finis suum principium. Vt enim personarum in Diuinitate emanatio forma quaedam est origo creaturarum, ita & exemplum sit reflexus creaturarum in Deum. At hic oro animaduerte, quid intersit inter communicationem creaturarum, & Dei communicationem. Cum enim creatura sit substantia particularis & diuisa, donatio quoq; & communicatio illius, particularis & finita est. Pater carnalis dum generat filium, partem quandam substantie, non totum id quod ipse est, communicat. Siquidem ipse particularis bonum est. Dei autem communicatio tanto est interior & preclarior, quanto ipse prestantius bonum est. Cum igitur ille quous alia bona infinito excedat, necesse est communicationem ipsam illius substantie ex aequo respondere: quod esse non potest sine essentia illius communicatione vel emanatione iuxta personarum proprietates. Hic si tu potes purgato intelligentie oculo summi illius boni purissimam conueni benignitatem, que in sua essentia presens & actualis est origo seipsu naturaliter & sponte amandi, cernis haud dubie excellentissimam ac superessentialem illa verbi ex Patre emanationem, ex cuius generatione & prolatione cuncta existunt ac proferantur: cernis etiam in summo bono & suprema emanatione

Discrimen
inter Dei communicationem
& creaturarum

natione in Diuinitate existere sacrosanctam
 Trinitatē, Patrem, Filium, & Spiritum sanctū.
 Si ergo suprema emanatio ex summa illa esse-
 ntiali bonitate proficiscitur, sit planè consequēs,
 in celsissima Trinitate supremā & coniunctis-
 simam esse (vt ita dicam) consubstantialitatē,
 vel substantiæ communionem, itemque sum-
 mam æqualitatem & identitatem essentiæ, quā
 personæ habent in iucundissima communica-
 tione, atque etiam indiuisam substantiam, &
 indiscretam potentiam trium Diuinarum per-
 sonarum. Hic exclamauit Virgo: Papæ, haud
 scis mihi in Diuinitate suspensa ferri videor,
 quam Aquila per æthera volirat. Minister au-
 tem ceptum sermonem prosequens: Vt Diui-
 narum, inquit, personarum Trinitas in essen-
 tiæ vnitate possit consistere, non potest verbis
 edici. Tamen quatenus inde dici potest, Augu-
 stinus ait in Diuinitate Patrem esse principū
 Filij & Spiritus sancti. Dionysius Author est,
 in Patre esse Diuinitatis emanationem, quæ se
 naturaliter communicet Verbo ineffabili, qui
 est filius patris: itemque amanter se commu-
 nicet voluntatis liberalitate filio: rursusque
 filius eadem voluntatis claritate se refundat in
 patrem, ita vt DEVS Pater amet filium, & fi-
 lius patrem, qui est amor reciprocus, dici-
 turque Spiritus sanctus. Quæ licet rectè di-
 cuntur, tamen clarius à Diuo Thoma Eccle-
 siæ splendido Doctore proferuntur, dum ait: In
 verbi emanatione ex corde Patris id ratio exi-
 git, vt Deus Pater suo intellectu sese inspiciat,
 et in eamq; essentiā suam penitus perspiciat.
 Nā si patris intellectui non esset, opposita diuina
 essen-

August.

Dionys.

Aquinas.

iōan. 1.

essentia, non posset verbum conceptum, Deum esse, sed creatura: quod falsum est. Sed hac ratione est Deus de Deo: ipsa quoque diuinæ essentia consideratio, quæ sit per patris intellectum, debet quandam habere adiunctam expressam naturalis essentiaæ æqualitatem: alioqui verbum non erit filius Patris. Atque hic & vnitas est essentia, & Trinitas personarum: in cuius distinctionis certum argumentum, alitiuolans illa aquila Ioannes ait: *Verbum erat in principio apud DEVM.* Quod porro ad Sancti spiritus emanationem attinet, sciendum est, DEVM Patrem per intellectum seipsum semper clarè intueri & cognoscere, & cognoscendo seipsum exprimere. Et hoc est verbum seu filius Patris. Et seipsum Pater in omni felicitate perfectissimè cognoscens, infinito amore sese & filium suum, & ipse filius eodem amore Patrem diligit. Et hic amor mutus Spiritus sanctus est, in persona distinctus, sed vnus Deus cum Patre & Filio in vna essentia. Vbi igitur verbum DEI ex patris intuitu secundum naturæ formam cum personali distinctione emanat, ista hæc est patris emanatio, generatio appellatur. Vbi autem hæc emanatio fit sub ratione voluntatis & amoris, vnde tertia in diuinis persona ex amoris profuio proficiscens, ex Patre & ex intima abyssos illius expressa imagine procedit, iam nec filius, nec genita dici potest ea persona. Cumque amor iste intellectualiter aut spiritualiter fit in ipsa voluntate seu propensio quædam & motus amoris in amante erga illum quem diligit, ad tertiam personam pertinet emanatio voluntatis, quæ est charitas, dicitur quoque Spiritus sanctus

sanctus: vbi nimirum transformatur homo à
 diuino lumine, idque tam occultè & abdite, vt
 nemo nisi expertus, id possit aduertere. Virgo
 dixit: Ista profecto Domine & excellens & Ca-
 tholica doctrina est. Sunt autem quidam acuti
 intellectus, qui abnegent ea omnia, quæ hinc de
 Deo dicta sunt, putantque ad supremam perfe-
 ctionem adspirati, Deum ipsum, perniciosum
 & noxium esse impedimentum siue medium,
 debere eiusmodi hominem & Dei & spiritus
 expertem esse, & visiones omnes posthabere,
 atque ad solam irradiantem sese veritatem ap-
 plicare, quam se compræhendisse affirmant.
 Respondit Minister: Ista præ se ferunt mani-
 festum errorem: quamobrem fugias ea, poti-
 usque auscultes, quid hinc fides sentiat Catho-
 lica. Vulgari quidem modo Deum accipimus
 ten Dominum & Creatorem omniū, qui nul-
 lum malum impunitum, nullum bonum irre-
 muneratum abire sinat. Ergo qui peccatis de-
 lediti sunt, ijs Deus est terribilis. Vnde est apud
 D. Iob. Semper enim quasi tumentes super me
 habitus timui Deum. Alij Deo seruiunt spe præ-
 mii, Ijs Deus est munificentissimus Dominus,
 qui possit copiosissime ipsos munerari. Porro
 quisquis bene exercitatus est in virtutibus, &
 vitia quæque, quæ Deus odit, crebris mortifica-
 tionibus extirpauit, Deoque ex mero ardenti-
 que seruit amore, is Deum medullitè amat, nõ
 tamen ijs superioribus modis. Nam quod ad
 eos attinet, non sic ille colit Deum, sed amat eū
 vt amicum lōge amantissimum, estque expertus
 timoris seruilis, de quo Paulus ait: *Non accipi-*
tu spiritum seruitutis iterum in timore. Manet igitur

Cuius Deus
 terribilis.
 Iob. 51.

Rom. 8.

Y
 tmr

zur eiusmodi deiformi homini Deus & Dominus, & tamen non ita crasse eum colit, quippe qui propius ad eum accesserit per amorem. Verò idem ipse spiritus exui debeat, iditidem exponam: Vbi quis in suæ conuersionis exordio sese animaduertit creaturam esse, ex anima & corpore compositam, ipsi corpori & omni sensualitati vel bestialitati nuncium remittit, adiungitque se spiritui & carnem illi subdit, omnisque eius actio interna non nisi quædam meditatio est, vt ad superessentialem possit pertingere spiritum, eumque apprehendere, & suum cum illo spiritum vnire. Id genus homines, occultè sancti vocantur. Cui autem hic rectè euenit, vbi diu satis hac in parte exercitatus est, & spiritus superessentialis eum illicit & inuitat, nec tamen eundem spiritum superessentialem potest apprehendere, iam suam attendit impossibilitatem, & à seipso deficiendo diuinæ virtuti se funditus permittit ac resignat, atque auersus à sese, ad illam se conuertit, cum contempti quodam sui ipsius & sensualitatis suæ & in summæ essentia immensitatem se recipit: atque sub hoc excessu spiritus quadam sui ipsius obliuione capitur, perditque seipsum, vt est apud Paulum: *Visus autem iam non ego.* Et Christus ipse dixit: *Beati pauperes spiritu.* Manet igitur spiritus, quod ad essentiam pertinet: & deficit, quod ad sensualitatis proprietatem spectat. Denique discrimen inter iteram veritatem & incertas visiones etiam patefaciam. Contemplatio immediata simplicis Diuinitatis, non nisi certa ac indubitata veritas est: & quælibet visio quanto magis

Occultè sancti qui.

Gal. 2.
Math. 5.

Visiones quæ
quales, aut
quæ quarum
differentia.

est intellectualis & formarum expers, & nuda
 illi contemplationi similior, tanto & præcla-
 rior est. Quidam Prophetæ imaginarias ha-
 buere visiones, vt Ierem. & alij. Cuiusmodi vi-
 siones sæpe adhuc secretis Dei amicis eueniunt,
 interdum in vigilia nonnunquam in somnis
 in sopito quodam silentio, & abstractione sen-
 tum externorum. Ait Doctor quidam, Ange-
 los sæpius apparere quibusdam in somnis, quã
 vigilantibus, eo quod in somnis ab externa
 multiplici actione quiescât magis, quã dum
 vigilant. Quando autem visio quæ fit in som-
 no, debeat vera iudicari, vt illa Pharaonis de
 septem bobus pinguis ac totidem macilen-
 tus, & id genus alia multa insomnia, quorum
 meminit Scriptura, cum plerunque fallant in-
 somnia, & interdum citra ambiguitatem ve-
 rum significant: aduertendum est quod San-
 ctus Augustinus fertur de sua dixisse matre, ex
 illa se audijse, eò se diuinitus munere prædi-
 tam, si quid vel omninò dormiens, vel quasi
 dormitans vidisset, simul illi à Deo id præsti-
 ti discretionis, qua facile internosceret, num
 vulgare esset somnium, ac eo ipso nihil pen-
 dendum, an imaginaria visio non negligenda.
 Quotquot idem donum à Deo consecuti sunt,
 possunt huius rei certius & facilius habere dis-
 crimina: quod nemo alteri potest com-
 mode verbis tradere: solus id a-
 nimaduertit, qui ac-
 cipit.

Cur Angeli
 dormienti
 appareant
 potius, quam
 vigilant.

Gen. 41

August.

Somnia que
 discernenda

CAPVT XX.

His itidem expeditis, rursus Virgo ait: Nihil equidem magis scire velim & expressis scripturis edoceri, quam vbi & quo pacto hominis probè exercitati ratio in immensa illa abyfso ad supremum scopum suum tendere debeat, ita vt amorosum experimentum cum scripturæ sententia concordet.

Adhæc Minister ex Diuinis literis rationale illi respõsum reddidit, cuius ista erat summa, quantum ad arcanos eius sensus pertinet: Eiusmodi præclarus homo simplici ocio verbum illud sensibus grauidum Domini Saluatoris obseruat, quo ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Quisquis ergò austerum illud Vbi, quod Dei filius in cruce moriens pertulit, per imitationem non refugit: possibile, immodè & æquum est ex illius pollicitatione, vt idem ipse iucundum illud Vbi Diuinitatis filij, intelligibili ac felicissima ratione in tempore æternitate magis vel min^o sentiat & perfruatur, quatenus quidem possibile erit. Sed vbi nam est iucundum illud Vbi Diuinitatis Verbi? Nimirum in ideali lumine Diuinæ vnitatis, quod secundum ineffabile nomen suum nihil est, secundum introversionem essentialis quies & silentium, secundum inuis permanentem egressionem. Trinitas personarum, iuxta proprietatem sui ipsius lumen, iuxta suam increatam virtutum, existentia cuncta producens: vbi spiritus seipsum amittit, & quantum ad actionem

Ioa. 12.

Vbi diuinitatis Verbi vbi nam sit.

eius attinet, deficit ac perit. Arque hic est supremus scopus, & interminabile Vbi, in quo cunctorum spirituum definit (vt ita dicam) spiritualitas: in quo se amisisse, sempiterna salus est & felicitas. Quod vt exactius perspicias, noueris in ideali lumine Diuinæ unitatis introrsus emanantem esse originem personalis emanationis ex sempiterna Diuinitate, siquidem personarum Trinitas in naturæ unitate inest, & naturæ unitas in personarum Trinitate. Unitas agit per Trinitatem & Trinitas suam habet in unitate facultatem, vt fere Augustinus ait in *August.* libris de Trinitate. Trinitas personarum in se complectitur unitatem ceu naturalem essentiã suam: vnde etiam quælibet persona Deus est, & secundam naturæ simplicitatem Diuinitas est. Ipsa autem unitas in Trinitate distinctè relucet, sed Trinitas quatenus introrsus fertur, in unitate simpliciter relucet, vt in seipsa eã simpliciter complexa est. Pater est origo filij, & Filius ex Patre æternum emanat secundum personæ distinctionem, & intus manet secundum essentiam. Pater & Filius simul producunt Spiritum sanctum: & unitas quæ primæ originis essentia est, etiam trium simul personarum substantia est. Vt autem Trinitas vnum sit, & Trinitas in naturæ unitate vnum sit, & tamen Trinitas ex unitate sit, non potest vllis explicari verbis ob abyssum illius simplicitatè. In hoc intelligibile, Vbi, transfert & immergit sese spiritus hominum perfectorum, atque præ infima sublimitate volitat, præ inexhausta profunditate narat, stupens & admirans alta & mira Diuinitatis arcana. At tamen suam hinc

naturam retinet, dum fruitor consensu
ae eiusdem potentia, intus manentibus, & ta
men emanantibus personis : manetq; abstra
ab omni occupatione reru inferiorum, in di
vinitatis stupenda mysteria intenta acie dehis
Quid enim tam est admirandu, quam simpli
illa vnitas, in quam personarum Trinitas sim
pliciter sese immergit, vbi omnis multipli
tas subducitur, (quod ita intelligendu est, per
sonarum emanationem semper referre solent
eandem diuinæ essentia vnitatem) atque etiam
creaturæ secundum ideas quas habent in Deo
in eadem vnitate vitam, scientiam & essentiam
æterno in Deo habent, vt est in Evangelio, *Quod
factum est, in ipso vita erat?* Ista nuda vnitas est
ligonolum silentium, & tranquillum oclum
quod capere non potest, nisi cui intus illuc
vera libertas nulli malitiæ permixta. Ea enim
in vera regeneratione producit, vnde ac
na relucet veritas omnis expers falsitatis : qui
quidem in memorata nuditatis reuelatione
sese profert. Ibi namq; exiit homo natura
obsuro illi lumine, quod humano modo cum
illuc vsq; comitatum est, posteaquam veritate
pli patefacta est. Enimvero alium quendam
sese comperit, idq; magis proprie & perspicue
quam in prioris luminis ratione sese intellexit.
Quo facit quod Apostolus ait, *Vnus autem
iam nõ ego.* Atq; ita exiit planè & fit quasi me
di expers in simplicis diuinæ essentiae modum
scientia, quæ rebus omnibus illucet simplici
quodam silentio : atq; hic permanens discreti
personarum singulariter acceptarum, in simplici
ci modum nescio modo amittitur. Vt enim autem
quidam

Ioan. 1.
Nuda diuini-
tatis vnitas
quid sit.

Galat. 2.

quidā, sola patris persona separatim sumpta,
 non præstat beatitudinem, ut nec sola filij, ne-
 que Spiritus sancti persona: sed tres simul per-
 sonæ in essentiæ unitate cohærentes, veram
 præstant beatitudinem. Et hæc est personarum
 naturalis essentia, quæ creaturis omnibus ex
 gratia substantiam vel essentiam præbet: rerū
 que omnium ideas in se simpliciter & essentia-
 liter complectitur. Cum igitur ideale illud lu-
 men Dei, sit eius essentia, in ipso quoque res om-
 nes secundum ideas essentialiter, non acci-
 dentali quadam configuratione insunt: & quia
 rebus omnibus illucet, iuxta luminis proprie-
 tatem sese habet: sicque res omnes in illa essen-
 tia relucent cum interno quodam silentio se-
 cundum essentiæ simplicitatem. Idem intelli-
 gibile Vbi, unde iam dictum est, vbi fidelis fer-
 uens cum sempiterno filio vna commorabitur,
 potest accipi existens illud anonymum Nihilum,
 vbi spiritus ad unitatis nihilum pertin-
 git. Ea verò unitas idcirco nihilum appella-
 tur, quod spiritus nihil possit reperire in tem-
 pore, quod illi congruat. Sentit tamen spiri-
 tus contineri se ab alio quodam & à se diuer-
 so. Itaque verius ibi à nihilo, quam ab aliquo
 continetur. Et est sanè nihilum spiritui, eo
 modo quo scire non potest quid sit. Quando
 igitur spiritus in hac luculenta caligine com-
 morari incipit, idque adeo, ut seipsum nesciat,
 omne medium & omnem suam proprietatem
 amittit, ut D. Bernardus inquit. Hoc verò plū- *S. Bernard.*
 ve minusve fit, prout spiritus siue in corpore,
 siue extra corpus, extra seipsum in eam unita-
 tem excessit, atque seipsum amisit, in DE V M

Y 4 trans-

1. Cor. 15.

transformatus, qui illi iam probe est omnia in omnibus, vt Apostolus ait. In hac sui absorptione, spiritus à seipso deficit, & transit in Deum, non tamen fit ex natura Deus, sed præstatur id ei per gratiam. Est enim res quæpiam, ab aliquo existente creatus. Itaq; dum spiritus supra se rapitur & in Deum absorbetur, amittit ambiguum admirabilitatem in suis ipsius amissione, vbi secundum sensus à seipso deficit, nesciens quicquam de seipso vt seipso. Nam si communiter velimus more loqui, spiritus luculenta diuinae essentiae virtute rapitur supra naturæ suæ facultatem in huius Nihili nuditatem: siquidem à creaturis modis omnibus absolutus est, & tamen in seipso suum seruat modum peculiarem iuxta suam essentiam. Hic modinescius modus est personarum essentia, quæ eam in se simpliciter ratione perfectissime complexæ sunt. Ista cognitio spiritum (vt dictum est) supra se excedere facit: idq; fit in Nihilo vnitatis secundum ipsum Nihili impenetrabilem cognitionem, ita vt proprium amittat nomen suum spiritus, quippe qui hic sese perdit, seipsum nesciens, & rerum omnium obliuiscens. Quod nimirum cum illi euenit, cum à seipso & tam sui quam rerum omnium creata essentia auersus, ad simplicem quam in diuinæ vnitatis Nihilo habet, ideam se conuertit. In hac diuinissimi Vbi arce, perceptibilis quædam est abyssus, cunctis modis spiritibus præludens: atque inibi spiritus in arcana venit nominis carentiam, & immensam vastitatem, quæ est inexhausta creaturarum omnium abyssus, sed sibi met penetrabilis. Latet eam omne illud, quod ipsa non est, præter quæ

quibus ipsa se vult reuelare vel communicare, quos sanè introrsus recipi & ita quarere, & quodammodo ipsam per ipsam cognoscere oportet, vt sacrae habent scripturae: *Videbitus eum* ^{1. Ioan. 9.} *scire est.* Hanc cognitionem non habet spiritus hominis ex seipso: sed vnitas trahit eum in Trinitate ad se, id est, in ipsius supernaturalem habitationem, vbi supra seipsum commoratur in eo, qui eum illo attraxit: vbi spiritus moritur, viuens semper in stupendis arcanis diuinitatis. Ea vero mors spiritus in hoc consistit, q̄ in suo excessu distinctionem non aduertit in propria essentia. Porro secundum exitum vel emanationem seruat discretionem iuxta personarum Trinitatem, sicut res quaslibet discriminatim esse id quod sunt, quemadmodum Sapientiae Minister in libello veritatis distinde explicauit. Est insuper aliud quod hic aduertere debeas, nempe in memorato illo spiritus excessu ex vnitate diuina simplicem radiare lucem: atq; eam modi expertem lucem tres diuinae personae in spiritus humani purae substantiam mittunt: atque ex huius coruscatione luminis, spiritus à seipso & virium suarum actione deficit, & opere ac spiritu (vt sic dicam) destituitur: quod fit, dum in ea introuersione extra seipsum in incognitam Diuinitatem aberrauit, amisitque sese in tranquillissimo silentio radiantissimae Diuinitatis & simplici vnitate. In hoc modo nescio vbi, summa beatitudo sita est. Ait Virgo: Papae, quo tandem modo huc pertingemus? Respondit Minister. Audies hoc ex ipso praeclearissimo Dionysio, scribente Timotheo in hunc modum. Tu verò Timothee

Abyssus quae qualis.

1. Ioan. 9.

Mors spiritus in quo consistat.

Myft. Theol.
cap. i iuxta
Camaldul.

chariffime intentiffima contuendis spectaculis
myfticis exercitatione, & fenfus linque, & in-
tellectuales operationes, & fenfibilium, & in-
telligibilia omnia, & quæ non funt, & quæ funt
omnia: & vt illi iungaris, qui fuper omnem
fubftantiam, omnemq; fcientiam eft, ignotè te
ipfum pro viribus intende. Enim uerò abs te-
plo atq; ab omnibus liberè & abfoluté ac purè
excedendo, ad fuperfubftantialem diuinæ cali-
ginis radium, fublatis omnibus, & abfolutè
ex omnibus euolabis. Et paulò ante: Trinitas
fuperfubftantialis deitate ac bonitate fuperior,
diuinæ Christianorum fapientia præful, dirige
nos ad myfticorum eloquiorum fupremum
incognitum, & lucidiffimum, atq; eminentiffi-
mum verticem, vbi fimplicia & abfoluta atq;
inuertibilia Theologiae myfteria fecundò fu-
perluminofam fcientia in occulto docentia, fu-
perliquidiffimamq; caliginem funt adoperata
in deniffimis tenebris eum qui plusquam ex-
cellenteriffime fplendet, fuperillucentem, & in
refugiente omnino tactum atq; inuifibili, ho-
neftiffimis fulgoribus & plusquam pulcherrime
excellenter implentem vacuos oculis fpiritus.

Dionysij Are-
opag. ad Tri-
nitatem ad-
fpiratio.

*Epilogus quidam eorum, qua ante dicta funt, &
lucida explicatio.*

CAPVT XXI.

DEinde virgo ait: Loqueris tu quidem mi-
Domine ex propria experientia & diuini-
tis literis de fimplici diuinitate, & fpi-
ritus effluxu ac refluxu peritè & Catholice. Sed
dicta

dicta hæc mihi satis obscura perquam velim
 sub quibusdam expressis similitudinibus pro-
 ma intelligentia declares, vt ea plenius capiam,
 & quæ hæcenus fusè dicta sunt, in compendiū
 contrahas, vt labili memoriæ meæ firmiter in-
 hæreant. Respondit Minister: Quod forme ex-
 pers est, quis potest sub formis proponere? & q̄
 modi nescium est, declarare quis potest, cum id
 sensus omnes & rationem humanam superet?
 Quæcunque enim illi adhibeatur similitudo,
 infinito eius dissimilius est quam similius. At
 tamen vt formæ formis excludantur, sub qui-
 busdam figuris & similitudinibus quatenus fi-
 eri poterit de ante dictis illis sublimib⁹ & for-
 manscijs rebus aliquid dicam, vt videlicet
 intelligendæ sint, & prolixum sermonem bre-
 uibus compræhendam. Ait ergo sapiens qui-
 dam Theologus, Deum secundum Diuinita-
 tem suam esse velut amplissimum circulum,
 cuius centrum vbi que sit, & ambitus nulquam.
 Itaque in imaginaria quadam cognitione vel
 meditatione hæc tecum ipsa perpendas. Si quis
 græde saxum mittat in medium stagnum, mox
 existit circulus quidam in aqua, & is circulus
 sua vi statim alium, & hic rursus alium efficit
 circulum, & pro primi iactus efficacia circuli
 etiam se extendunt. Possit ergo tanta illius ia-
 ctus esse vis & impetus, vt plures efficiat cir-
 culos, quam possit aqua continere. Sic igitur ex-
 empli loco primus ille circulus propositus, vt
 per eum intelligas omnipotentem Diuinæ na-
 turæ virtutem, eam quæ in Patre infinita est,
 quæ ex se alium efficit circulum sibi similem
 secundum personam, quæ est filius, atque ex
 duo

Deus qualis
 circulus.

simile.

duobus his circulis tertius procedit, qui est Spiritus sanctus. In hac impenetrabili abyſſo Diuina natura, Pater loquitur & gignit Verbum alteram in Diuinis personam, quæ tamen secundum essentiam intus manet, nec profertur. Hoc verbum naturam suscepit humanã: Quod si quis sub quadam velit similitudine profectre, capiat formam hominis, ex cuius intimis cordis visceribus similis figura emergat, eademque in ipsam originem suam perpetuo deflectatur. Hæc spiritualis ac superessentialis Verbi generatio, causa est & ratio perfecta omnes spiritus & res vniuersas producendi & creandi. Summus ille & super substantialis spiritus hominem aded nobilitauit, vt ex sempiterna Diuinitate sua ipsum irradiet. Atque ipsa est imago Dei in mente rationali, quæ etiam æterna est. Itaque ex magno illo circulo, qui sempiternam designat Deitatem, vt secundum imaginarias quasdam similitudines loquamur, parui existunt circuli, qui haud absurde præcellam suæ intelligentiæ possunt significare generositatem. At plerique ab hac mentis dignitate sese perniciosè auertentes, DEI in se splendidi imaginem deturpant, atque ad corporeas Mundi huius sese voluptates transferunt: quibus auidi inhiant ac dediti sunt, mors inopinata eis finem imponit. Qui verò mentis compos est, cum hac micati animæ scintilla ad id quod stabile & æternum est, vnde traxit originem, sese confert & erigit, cunctisque valesaciens labentibus creaturis, soli æternæ veritati sese adiungit & inhæret. Atque vt hic etiam explicatius docearis, quo ordine spiritus in Deum reuertitur debeat,

Spiritus quomodo in Deum reuertitur debeat.

beat, aduerte quæ subiungo. Primò illi danda
 opera est, vt nudè ac expeditè à Mundi voluptatibus, & vitijs quibuscunque viriliter & magno animo sese auertat, conuertatque ad Deum per orationes cōtinuas, per sui abstractionem, per discreta ac sancta exercitia, quibus carnem spiritui subiectam reddat. Secundo, spontè ac æquanimiter offeret sese ad perferendam infirmitatē aduersitatum omnium, quæ possint vel à Deo, vel à creaturis ipsi accidere. numerositatem. Tertio, crucifixi IESV passionem sibi imprimet, suorum affiget animo illius suavissimas institutiones & mitissimam conuersationem vitamque purissimam, quæ exempli nobis præbendi causa gessit, vt ipsum imitetur, sicque per eum vterius penetret ac penitus ingrediatur. Dehinc verò intermissis externis occupationibus, sese in quodam collocabit mentis tranquillissimo silentio, & tacita tranquillitate, idque cum efficaci ac forti quadam resignatione, perinde ac si sibi ipsi mortuus sit, ita vt nusquam spectare sese, sed Christi duntaxat & cælestis patris eius honorem & laudem aucupari, humiliter ac amanter erga mortales omnes, inimicos æquè ac amicos, sese gerere velit. Inde porro homo exercitijs sanctis intentus, sensuum externorum, qui prius in sui extrouersione admòdum erant operosi, actione destituitur, & spiritus ad virium supernarum, quatenus secundum naturalem operationem vigent, defectum quendam peruenit, & quiddam supernaturale experitur. Atque hic spiritus seipsum secundæ naturæ inhesionem amittendo, vterius introrsus tendit ac mittitur per circulum sempiternam diuinitatis signifi-

I.

II.

III.

significantem, atq; locupletem peruenit perfecti-
 onem. Suprema autem spiritus opulencia in
 propria illius forma in eo sita est, vt absq; vllis
 vitiorum pondere diuina virtute sese subrigat
 in luminosam intelligentiam suam, vbi caris-
 simis consolationis concinuum experitur influ-
 xum, potestq; res sapienter expendere & con-
 siderare, & prudenter exequi, prout ratio & di-
 uersitas eorum exigit, statq; ordinatè liberatè
 per filium in filio: at tamen etiamnum forma
 respicit res ipsas in propria illarum natura,
 distinctè & sapienter contemplando. Potest ite-
 dici spiritus excessus quidam, quando quidem
 hic vltra tempus & locum transcendit, atq; in-
 tima & amorosa contemplatione in Deum re-
 cessit. Hic vero qui seipsum magis adhuc expe-
 dire ac penitus penetrare nouit, cuiq; Deus effi-
 caci quodam raptu excellenter ac singulariter
 opitulari velit, vt fecit D. Paulo, & alijs etiam-
 num, D. Bern. teste, prestare possit iam spiritus
 creatus à superessentiali Dei spiritu compre-
 henditur, rapiturq; eo, quo propria non possit
 virtute perungere. Sub hoc raptu imagines,
 formas & omnem multiplicitem amittit, at-
 que in suis ipsius & rerum omnium ignoratio-
 nem perducitur, ita vt nec se nec cætera extra
 Deum attendat vel aduertat, atque cum tribus
 sacrosanctis personis in diuinitatis abyssum
 simplici immersione absorbetur, vbi securè
 supremam veritatem, suam experitur beatus-
 dinem. Hic nulla iam superest actitandi vel
 conandi intentio, quando principium & finis
 vnum effecta sunt, & spiritus, seipsum excedè-
 tis, cum Deo vnitus est. Vt autem excessus spi-
 ritus,

2. Cor. 12.

Bernard.

ritus, qui etiam in hac vita temporaria, homi-
 ni contingunt, durabili vel non durabili mo-
 do sese habeant, aut ut quis magis vel minus in
 tempore supra tempus rapiatur, ac à seipso de-
 ferat, & in formænescium illud (vnum) trans-
 feratur, superius satis, ut reor, expressæ decla-
 ratum est. Hic iam filia consideres velim, om-
 nes expressas imagines, & verba per similitudi-
 nes prolata, tam esse dispares illi formæ omnis
 experti veritati, quam nigerrimus ætheops lu-
 cidissimo Soli dissimilis est: idque fit ob eius-
 dem veritatis formænesciam & incognitam
 simplicitatem. Hæc cum dixisset Minister, sur-
 sum erectis luminib⁹ ait Virgo sancta, Gratias
 ago & laudes æternæ veritati, quod ex pruden-
 tissimis & optimis sermonibus tuis mi Pater
 pulchrè didici, & quæ sint prima exordia ho-
 minis meliorem vitam incipientis, & quæ am-
 plectenda, quæ fugienda, quæ seruanda & exer-
 canda sint homini proficienti, & quæ sit de-
 nitæ suprema veritas ad perfectos pertinens.
 Postremò, ubi sancta hæc Virgo à spiritali suo
 patre præclarè fuit edocta ex Christianæ reli-
 gionis certa veritate, quibus rationibus ad su-
 premam pertingatur beatitudinem, eaq^{ue} probè
 illius dicta cepit, quatenus in hac vita fieri po-
 test, in extremis suis literis idè pater eius spiri-
 talis, Minister Sapietia inter cætera sic scripsit:
 Age iam filia, nūcium creaturis omnibus mor-
 talibus remittas, cessentq^{ue} deinceps quæstiones
 tuæ. Audi tui ipsa, quid in te loquatur Dominus
 Deus. Est sanè quod gandeas præstitū tibi esse,
 quod multis negatum est. Et licet duros tuleris
 causa labores & dolores, ij iam omnes præ-
 teri-

rerierunt. Nihil iam tibi agendum superest, nisi
 si ut diuina pace in tranquilla requie pertra-
 ris, & hilariter expectes horam illam, qua
 vita temporaria in perfectam ac aeternam co-
 migres beatitudinem. Paulopost obiit Virgo
 hac sanctissima, & feliciter decessit ex hac luce.
 sicut etiam omnis eius vita non nisi virtutibus
 conspicua fuit. Apparuit autem suo spiritali
 patri post mortem suam in quadam abstracta
 visione, eratq; habitus eius niue candidior, &
 ipsa splendida claritate renitens, caelestibus abun-
 dabat gaudijs. Accessitq; ad eum, & ostendit
 illi quam excellenter in simplicem excessisse
 diuinitatem. Quae ille summa cum animi vo-
 luptate & vidit & audiuit, eiusq; anima ex hac
 visione caelesti est consolatione perfusa. Vbi ad
 se redijt, ex imò ingemiscens pectore, ita cogi-
 tauit: Ah DEVS omnipotens, quam ille beatus
 est, qui tibi vni intentus est? Merito libenter
 aduersa patiarur, quem tu pro suis afflictioni-
 bus hoc pacto consolaturus es. Prester no-
 bis omnipotens DEVS, vt etiam
 nos ad haec beatae vitae gaudia
 perducamur. Amen.

(:):

